ILLVSTRISSIMO VIRO, DOMINO ROBERTO DVDLEIO, COMITI LEYCESTRIÆ, BARONI DE Denbigh, aureæ Periscelidis & S. Michaelis Equiti aurato, *Magistro equi Regia Maiestatis, eiusdemq; serenissima Regina Elizabetha à consilys, & Oxoniensis Academia Cancellario dignissimo, Domino suo colendissimo.*



DECIMVS iam septimus annus est, nobilissime Comes, a quo incepi in Academia, vt ita dicam, tua, bonas artes profiteri. Si quibus meis laboribus profecerim, gratias Deo agendas; quòd verò nō defecerim, quasi languens in itinere, eidem soli tribuendū esse scio. In hac vitæ meæ sic anteactæ curriculo veluti pensum à meipso quotidie exegi, stadiumque percurrendū in Parnasso Musarū mihimet proposui, furtiuis (vt aiunt) horis quosdam commentarios in vniuersam Dialecticam & Philosophiam perfeci: illos scriptis mā datos, typis vt mandē amici vehementer suadent, at nego: vrget, non audio; obtrudunt famam, non quæro: Academiā obiiciunt, matrem agnosco: posteros ante oculos ponunt, victus concedo. Restat nunc vnum, vt illum patronum inueniam, qui me & auctoritate munire valeat, & patrocinio fouere velit. Sed quid in hac re anceps hæreo? Tu es vir illustrissime, cui has primas meas lucubrationes nuncupare decreui. Postquam enim audiui per Doctorem Humfredum summum doctissimumq; virum, inter cętera negotia (de quibus cum Academiæ nostræ præfectis egeris) te singularem mei curā ac mentionem habuisse, ardentem sitim meā extinguere non potui, donec aliquam grati animi erga

2/6

W

Autograph of
[illegible]

666

Willcott

SVMMA VETERVM INTERPRETVM IN VNIVERSAM DIALECTICAM ARISTOTELIS; QVAM VERE FALSOue Ramus in Aristotelem inuehatur, ostendens.

Auctore.


IOANNE CASE OXONIENSI,
olim Collegii D. Ioannis Præcursoris socio.

Omnibus Socraticæ Peripateticæq; philosophiæ studiosis in primis vtilis ac necessaria.

Recognita & emendata.

Cum INDICE rerum & verborum locupletiss.





OXONIÆ.
Excudebat IOSEPHVS BARNESIVS.
MDLXXXXII.

IOANNIS READI CARMEN, IN DIALECTICAM IOANNIS CASI.

Longa legas, dispersa legas, male reddita cernas,
Plenaq; difficilis cuncta laboris erunt.
Hic poteris plenis pomaria carpere ramis
Cūctaq; cōfertim (cādide Lector) habes
Res est digna tuo, Dialectica digna labore,
Hæc ars in veri cognitione locat.
Qui tradit, cliuo multum sudauit in isto.
Sana putes, hæc sic tradita, tuta putes.
Aucupibus noti frutices, tutissimus vsus:
Vtilis hic multis qui fuit, esto tibi.
Vtilis est, hæc tu si grata mente reponas,
Vtilior posthac forsitan esse potest.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO VIRO, DOMINO ROBERTO DVDLEIO, COMITI LEYCESTRIÆ, BARONI DE Denbigh, aureæ Periscelidis & S. Michaelis Equiti

aurato, Magistro equi Regiæ Maiestatis, eiusdemq́; serenissimæ Reginæ Elizabethæ à consilijs, & Oxoniensis Academiæ Cancellario dignissimo, Domino suo colendissimo.



DECIMVS iam septimus annus est, nobilissime Comes, a quo incepi in Academia, vt ita dicam, tua, bonas artes profiteri. Si quibus meis laboribus profecerim, gratias Deo agendas; quòd verò nō defecerim, quasi languens in itinere, eidem soli tribuendū esse scio. In hac vitæ meæ sic anteactæ curriculo veluti pensum à meipso quotidie exegi, stadiumque percurrendū in Parnasso Musarū mihimet proposui, furtiuis (vt aiunt) horis quosdam commentarios in vniuersam Dialecticam & Philosophiam perfeci: illos scriptis mādatos, typis vt mandē amici vehementer suadent. at nego: vrgēt, non audio; obtrudunt famam, non quæro: Academiā obiiciunt, matrem agnosco: posteros ante oculos ponunt, victus concedo. Restat nunc vnum, vt illum patronum inueniam, qui me & auctoritate munire valeat, & patrocinio fouere velit. Sed quid in hac re anceps hæreo? Tu es vir illustrissime, cui has primas meas lucubrationes nuncupare decreui. Postquam enim audiui per Doctorem Humfredum summum doctissimumq́; virum, inter cętera negotia (de quibus cum Academiæ nostræ præfectis egeris) te singularem mei curā ac mentionem habuisse, ardentem sitim meā extinguere non potui, donec aliquam grati animi erga te

te obseruantiam apud te testatam reliquissem. Primum ergo hanc rasam quasi tabulam ex arca Musarũ tuo honori offero: opus enim non appello, quippe neque subtilis ingenii sale est conditum, neque limato perpolitum sermone. In ea tamen Delphici Aristotelis imago pingitur; in ea vmbra discutiendæ veritatis cernitur; in ea videre licet arcem Sophistarum deiectam: in ea Ramistarum vim & aciem debilitatam videas. Oro igitur vt sub tuo nomine quasi sub Achillis scuto in lucem prodeat. Cum enim omnia nostrarum Athenarum studia à te, tuaque prouidentia quodammodo pendeant, has meorum studiorum primitias me tibi præ aliis & debere scio, & commendare cupio. Si approbentur, polliceor plura, sin vero contradicendi studio à quouis perstringar, molestiã vt possum deuorabo. Scripsi equidem eo animo, vt prosim multis, vtq; consopitæ artes inuitis Anabaptistis (qui illas tollunt) reuiuiscant. Excessum in his non quæro; exopto vsum vsũ inquã exopto; quippe sine illis neque gubernare hanc nauem, in qua nunc sumus, id est, Academiam, neque ad portum veræ sapientiæ placido, vt aiunt, Neptuno quisquam nauigare potest. Frustra enim quęritur vera sapientia, si ad veram sapientiam spreta relinquãtur media. Accepi (Insignissime Cãcellarie) inter multa, quæ honorifice de statu Academiæ nostræ cum nostris rectoribus contuleris, hoc vnum te imprimis velle conari, vt in singulis artibus perpetui haberentur professores; rem sane omni honore dignam, rem sanè nobis tuis alumnis gratam, rem sanè omni posteritati fructuosam cogitas. Nam quamuis Oxonium iam sit per tuam, doctorumque consularem quasi curam, beatissima Academia, florentissimum totius Europæ gymnasium, nobilissimum sapientiæ oraculum, omnium denique scientiarum & mater & nutrix:

veren-


verendum tamen est ne canitiem Musarũ, suiq; luminis veluti eclipsim, defectu in scientiis perpetuorum professorum, sentiat. Nunc enim lectorum successio toties mutata, remuneratio tam ieiuna (id Christus à nobis auertat omen) magnam sterilitatem liberalium Artium minitatur. Quamobrem (vir auguste) nihil amplius, nihil vtilius, nihil honorificentius Athenis tuis potest contingere, quàm vt liberales artes ex suis subsellijs, non aliter quàm sacra Philosophia, Iurisprudentia, Medicina, ex suis iam cathedris, eloquãtur. Sic fiet, vt queadmodũ in his nunc sedent nostræ Academiæ lumina, quorum splendor in omnes Reipub. partes suos radios fundit: ita in illis præsint scientiarum subsidia quorum ope rectius ad hæc tria studiorum præmia dirigamur. Deum hîc in conscientiæ testimonium voco, me nihil hinc ambire. Circumuecto enim ætatis meæ gnonome, iam horologii vmbram, aut mortis, aut senectutis punctum attigisse videor. Si quid reliqui sit temporis, vt diu legendo vires corporis exhausi necessitate pressus, ita posthac scribendo vires mentis, exercere, vt posteritati prosim, ardenter opto. Da veniam (vir insignissime) si verbis molestior, quàm par est, fuerim. Summa omnium est vt te mei libelli patronum, & nostri optati fautorem habeam. Primum me tuo honori ita semper diuinxerit, vt inuidia & edaci temporis lima tui nominis famam conteri & obliterari pro viribus non sinam. Si alterum vero pręstiteris, hoc vere de te dictum audire potes, qnod senex, consul, sapiẽs, patrocinio, consilio, fide, nobis, principi, omnibus satis-feceris.

Tui obseruantissimus,

IOANNES CASE.

AD

AD BENEVOLVM LECTOREM.



Præter lumen illud rationis, quod insitum est nobis à natura, benigne Lector, necessarium fuit omnino excellens & fructuosum optimarum artium studium, quo, veluti pumice, omnia in oratione rationeq; inculta, Attice tandem & venuste perpolirentur. Hinc olim multi percelebres viri (quos aurea mundi ætas peperit) incredibili sciendi desiderio inflammati, multas præclaras artes inuenerunt. Hinc apud AEgyptios Sacerdotes: apud Chaldæos, Magi: apud Indos, Gymnosophistæ: apud Græcos & Romanos, Philosophi floruerunt. Inter quos propter insigniorem sapientiam Ptolomæum in Astrologia, Boetium in Musica, Euclidem in Geometria, Hippocratem & Galenum in Medicina, Ciceronē in Eloquentia Platonē & Aristotelē in Philosophia & Dialectica maiores nostri per multa secula prætulerunt: eosdemq; vt oracula scientiarum, omni posteritati commēdarunt. Hoc sane fecisse ob has præcipue causas videantur: & quod in illis maximā vim rationis, lumenq; veritatis animaduerterint: & ne scientiarū nauē inter scopulos erroris fluctuantē, sine anchora certoq; gubernatore penitus relinquerent. Iniuriosum est ergo tantorū virorum nomina obliuioni iam tradere, periculosum Solis & Musarum vehiculum tot seculis sapienter ab illis gubernatū, uni iā Phaethonti gubernādum concedere. Sed vt aperte agam, mirum mihi nunc est, ac sæpe fuit quid Ramo in mentē venerit, quod in hos omnes tam præclaros, tam doctos, tam sapientes viros nominatim, non sine maxima acerbitate scripserit: Ptolomæum enim infantem, Euclidem nugatorem, Ciceronem magistrum nimis confusum, Priscianum ineptum, Aristotelem obscurum & otiosum Sophistam nominat. Quid? An ex Ioue & Minerua natus, plus omnibus sapuerit? An in eo solum omnes resederunt Musæ? Fierine potest vt vnus homo in omnibus & singulis scientiis ita proficeret, ita excelleret, ita aliis omnibus præluceret, vt omnes duorum fere milliū annorum homines nunc præ illo delirasse videantur? Vita breuis, ars longa est, vt ait Hippocrates, Omnis scientia infinita est, vt ait Aristoteles, vnus tamen Ramus in breui vitæ circulo omnes scientias ad vnguem sic didicit, vt lumina scientiarum nouo iam orto quasi sidere, occasum patiantur. Da veniam, bone Lector, si in hac re vehementius disputem: non virum, sed vitium: non doctrinam, sed nimiam viri confidentiam vrgeo. Cogita tecum animo quæ confusio, quæ lues futura sit

bonarum

bonarum artium, si cuiuis prout sibi visum fuerit, nouos quotidie auctores excudere, nouos profiteri, veteres contemnere & condemnare liceat. Euenta istius libertatis vel potius licentiæ ante oculos pone. Taceo multa, vnum tamen insinuo, quod tacere non possum, ingenuas artes sine certis ducibus in syluis veluti multorum errorum diuagantes ad vnam omnes plantas in horto Palladis & pulchritudine floris, & vbertate fructus longe superauerit, quominus de illo gustes, omnino non impedio: Verum enim vero si iniuste alios reprehenderit, si rationibus non vicerit, si veterum Academiarum statuta violauerit, si composita & eleganti oratione incautos & indoctos deceperit: cauendum est, ne dulce venenum sub eius folijs delitescat. Certum est, vt in pauca rem contraham, tot homines, tot principes Philosophos, tot ætates, tot Academias, quæ prænominatos antesignanos nobis dederunt, haudquaquam insaniisse. Qui ergo ab illorum institutis defecit, qui illos vt authores sibi non proposuit, vrbis fortasse intonuit, at ardenti suæ contentionis fulmine adhuc illos non concussit, imo vix tetigit. Verum vt id quod dico certum esse demonstrem, abs re non est vnum exemplum de methodo Aristotelis in Dialectica quæ millies à Ramo reprehenditur, paucis perstringere. Scripturus Aristoteles Dialectica præcepta, sibi triplicem intellectus actionem ordine proposuit nimirum simplicium, vt aiunt, terminorum apprehensionem, vnde voces: Compositionem rerum & vocum, vnde propositiones: Ratiocinationem, vnde conclusiones percipiuntur. Ad primam librum Categoriarum: ad secundam, librum Interpretationis: ad tertiam, libros Priorum, Topicorum, Demonstrationum, & Elenchorum retulit. In hoc ordine quid tandem reprehendis Rame? Omnia. Breuissime quidē respondes, sed nimis confuse. Inprimis ergo reprehendo, quod parum sibi constet in hac methodo Aristoteles. Quid ita? quia alibi Dialecticam in duas solum partes diuisit, nempe in Iudicium & Inuentionem: Quid agis nunc Rame? Non de partium numero, sed de ordine hic disputatur: at ordo non est sine partium numero, qui in vtroque ordine apud Philosophum est incertus. Carpis profecto sine causa. Nam quamuis ordinem naturæ sequutus, tres partes constituit, tamen secundum ordinem doctrinæ in duas contraxit. Hunc ordinem quoq; non approbandum censeo: dic causam. Quia iudicium, quod est rerum inuentarum approbatio, inuentionem apud Aristotelem præcedit. Iudicium quidem præcedit, sed confusum: distinctum vero & accuratum sequitur. Quid per confusum iudicium intelligis? primam & simplicem illam apprehensionem Categoriarum, ex quibus omnis inuentio nascitur. Vides, studiose Lector, ex cortice plantam: in Animaduersionibus suis sic agit, sic ludit sæpe, in Animaduersionibus dico, nam in alijs partibus vbi fixo vestigio scribis, illum vt doctum interpretem admittendum, non vt optimum auctorem aliis

præferendum puto. Scio equidem in ambabus nostris Academiis multos & graues & doctos nunc esse censores, qui prospicientes ex paruo lapsu magnam ruinam, hanc sectam vel potius schisma Philosophorum, æquis animis non ferunt: illos ego, quamuis inter omnes Athenienses minimus, obsecro & obtestor, vt languentem statum liberalium artium considerantes, iunctis, quasi manibus cadentem subleuent. Res frigida non est, de qua agitur: nam tolle artes, ruunt gradus: tolle inquam artes, ruunt Athenæ. Liceat enim cuiuis nouos auctores, quos velit sumere, liceat quodlibet, quamuis absurdum, ex quolibet defendere: quis Syrenem nō audit? quis scopulum non videt? Sed his omissis ad meipsum venio. Librum hūc, quem manu nunc tenes, benigne Lector, Musa mea olim conceptum vtero, post nouem hos menses peperit. Infans adhuc est, & tamen artem didicit: vnum ergo hoc solum petit, vt suæ infantiæ, si quid offendat, faueas. Audet, vt vides, prosilire in conspectum hominum, quamuis sit natu minimus: habet enim & alios duos fratres ætate grandiores: si audiat bene propter artem, sequentur & illi, sin minus, plusquam Pythagorico silentio indicto ante sepulchrum patris non loquentur. Ordo huius libri est inuentu facilis. Nam primum expositione, tum distinctione, tum argumento vtor. Materia eiusdem est scientia Dialectica, quæ sola in orbe Musarum lux, norma, scutum dicitur. Lux, quia difficilia aperit: norma, quia per certa loca rationem humanam dirigit: scutum, quia argumentis & punctis omnia probat, munit, defendit. Vsus denique est, vt quæ caligo veterum interpretum obtexit, in hoc vno libello aperta & resoluta videas. Vale, Idibus August.

Tui semper studiosus
IOANNES CASE.



AN DIALECTICA SIT VTILIS ET NECESSARIA AD ALIAS SCIENTIAS.

CAP. I.



In vsu res omnis cōsistit.

Vt lectissimi sagittarij melius sua tela in scopū dirigunt, intuentes signū;ita Musarum alumni rectius in bonarum literarum studio procedūt, artium(quibus studēt) cognoscentes vsum. Nam vt est gēma preciosa, gallo sine fructu, ita est scientia ignoranti sine vsu. Quamobrē in dialecticis telis retexendis, hæc quæstio primū iure mouetur. *An Dialectica sit vtilis vel necessaria ad alias omnes capessendas artes.* Scio equidē incūdem Mineruæ in hac causa malleolis subtiliū ingeniorū multum contundi, adeóque multos in varias sententias distrahi ac diuelli. Ego tamē meo iudicio optimos imitatus (inter quos duos præ cæteris, honoris causa, nomino Thomam & Toletum) ad id centrum omnia delineabo, vt in hac thesi, & in omnibus (quas, diuina ope fretus, sum tractaturus) viuum sine tædio, verū sine vllo verborum gyro attingam. Cæterum ne oblitus breuitatis, longius digrediar, non solum vtilem & fructuosam, sed etiam necessariam Dialecticam esse opinor, ad alias scientias perdiscendas. Nam vt affatim rationes in vnum quasi circulum colligam; tritum hoc est, nec latentia posse definiri, nec confusa posse probari sine Dialectica. Nam etsi aliæ scientiæ segetem & materiam propriam suo iure vendicant, modum tamen formamque probandi, & in suis proprijs locis Inuentionis tractandi, a Dialectica necessariò mutuantur.

Duo omnium interpretum antesignani.

Dialectica officia & vsus.

Est Dialectica duplex.
- A natura insita, quæ lumine rationis, rerumque vsu & experientia perficitur.
- Arte & doctrina comparata, quæ inuenire acute, & recte inuenta iudicare docet: & hæc est necessaria.

Necessarium duplex.

Necessarium accipitur bifariam:
- Absolute, pro eo sine quo aliquid esse non potest, vt homo non est sine anima, virtus non est sine habitu.
- Comparate ad finē, sine quo aliquid commode esse vel omnino recte cognosci non potest: & sic Dialectica ad alias artes est necessaria.

Causæ, cur sic est necessaria, sunt.
- quia latentia definit.
- quia confusa diuidit.
- quia obscura discutit & concludit,
- quia omnia ad limam probabilitatis reuocat.

Opponens.

Oppugnatio quæstionis.

Fines reliquarum artium acquiri possunt sine Dialectica, vt sanare potest Hippocrates sine syllogismo, Euclides lineas ducere sine argumento, ergo non est necessaria.

Respondens.

Aliæ artes considerantur bifariam, vel quoad
- *Modum probandi præcepta in illis per contemplationem, & sic sine Dialectica acquiri non possunt.*
- *Modum exercendi opera per externam actionem, & sic possunt*

Opponens.

Dialectica docet fallere, vt patet de reprehensione Sophistarum, ergo non est necessaria, imo potius reiicienda.

Resp.

Fallere docet, non vt fallas, sed vt fallendi arte percepta, euitetur fallacia.

Oppon.

Aliæ artes suas habent definitiones, diuisiones, demonstrationes, ergo ob has causas non est necessaria.

Resp.

Habent quoad
- *Materiam quam continent,*
- *non quoad formam, quam solum Dialecticis acceptam referunt.*

Oppon.

Floruerunt multæ artes apud Ægyptios (vt est apud Platonem) ante Dialecticam, ergo non est necessaria.

Resp.

Extiterunt quidem lumine naturæ ac rationis inchoatæ, non certis inuentionis locis discussæ & absolutæ.

CAP. II.

An Dialectica recte definiatur, & an versetur magis circa intentiones quam res ipsas.

Ordiendum a definitione.

QVI sibi pensum imponunt in rebus difficilioribus explicandis, id curæ semper habere debent, vt a definitione, si fieri possit commode, auspicentur. Omnis enim inde suscepta disceptatio summam & perspicuitatem & facilitatem pollicetur. Quare nodos nexusque Dialecticos resoluenti, in primis ars ipsa est definienda, ne, dum in oceano mersus profunda quærit, prima principia rerum neglexisse videatur. Est ergo *Dialectica ars artium, & scientia scientiarum*: quippe inseruit reliquis scientijs, vt aiunt, ad manum, nam probandi in omnibus subministrat modum. Hinc etiam definitur, *scientia acute definiendi, accurate diuidendi, elaborate demonstrandi*: Sunt enim, definitio, diuisio, demonstratio instrumenta Dialectices, quibus omnem propositam quæstionem ad viuum discutit. Postremo, a fine describitur, *esse facultas subtiliter disserendi in vtramque partem, de omni quæstione quæ in dubium vocatur*: de omni quæstione dico, non quod omnem quæstionem vi sua, iureque proprio vendicet, quoad materiam, sed quod omnem causam suscipiat, susceptam tractet, quoad disserendi modum. Vnde liquido apparet, hanc artem magis circa intentiones rerum, quam circa res ipsas intelligi. Nam quamuis res sint fundamenta vocum,

Dialectica quid.

Instumenta Dialectices

2. Quæstio tractatur.

vocum, non tamen ex rebus, sed ex vocibus omnis propositio, omnis ratiocinatio, omnis inuentio, locorumque tractatio constituitur, in quibus cardo Dialectices voluitur. Hinc a priscis interpretibus, rationalis, non realis dicitur scientia, vtpote quæ magis in intentione mentis per gyrum rationis, quam in contemplatione rei per modum constitutionis versatur. *Dialectica quare dicitur ars rationalis.*

Definitur Dialectica vel a { Modo, seu dignitate, & sic est ars artium, scientia scientiarum. / Instrumento, seu officio, & sic est ars definiendi, diuidendi, demonstrandi. / Fine, & sic est ars disserendi probabiliter in vtramque partem. } *Prima distinctio.*

DISTINCTIO SECVNDÆ

Quæstionis.

Intentio est, vel { Simplex { Primæ impositionis, vt, virtus. / Secundæ impositionis, vt, genus. } / Complexa, vt propositio, circa quam vel maxime versatur dialectica: est enim opus dialectices, axioma, seu maxima propositio, in qua vis inuentionis cernitur. } *Secunda distinctio.*

Opponens.

Omnis scientia perfecta est in se, teste Philosopho, primo lib. Analyt. & 6. Ethicorum, ergo non recte definitur ars artium, scientia scientiarum.

Resp.

Est perfecta omnis scientia in se, quoad materiam constitutionis quam tradit, non quoad formam probationis, quam a sola Dialectica quærit.

Oppon.

Metaphysicus definit, diuidit, demonstrat: ergo secunda definitio aliis a Dialecticis conuenit. *Arist. 5. Metaphy.*

Resp.

Metaphysicus quidem definit per contemplationem mentis: Dialecticus vero per applicationem vocis.

Oppon.

Dialectica est indagatrix veri & falsi, ergo non tantum probabiliter disserit in vtramque partem. *Arist. 5 Elechorum.*

Resp.

Omne verum est probabile, sed omne probabile non est verum, quare argumentum non sequitur.

ARGVMENTA IN SECVNdam quæstionem.

Res solum tractantur in Prædicamentis, quæ sunt prima principia Dialectices, ergo magis circa res versatur, quam circa intentiones. *Oppugnatio secunda.*

Resp.

Res tractantur non in constitutione, sed in relatione & ordine propositionis, quæ propositio est intentio.

Oppon.

Res definiuntur, res diuiduntur, res discutiuntur argumento, res ergo solum considerantur.

Resp.

Non res, sed modus rerum definiendi per genus & differentiam, a Dialecticis considerantur.

Causæ, cur sic est necessaria, sunt. { quia latentia definit. / quia confusa diuidit. / quia obscura discutit & concludit, / quia omnia ad limam probabilitatis reuocat.

Opponens.

Oppugnatio quæstionis.

Fines reliquarum artium acquiri possunt sine Dialectica, vt sanare potest Hippocrates sine syllogismo, Euclides lineas ducere sine argumento, ergo non est necessaria.

Respondens.

Aliæ artes considerantur bifariam, vel quoad { *Modum probandi præcepta in illis per contemplationem, & sic sine Dialectica acquiri non possunt.* / *Modum exercendi opera per externam actionem, & sic possunt*

Opponens.

Dialectica docet fallere, vt patet de reprehensione Sophistarum, ergo non est necessaria, imo potius reiicienda.

Resp.

Fallere docet, non vt fallas, sed vt fallendi arte percepta, euitetur fallacia.

Oppon.

Aliæ artes suas habent definitiones, diuisiones, demonstrationes, ergo ob has causas non est necessaria.

Resp.

Habent quoad { *Materiam quam continent,* / *non quoad formam, quam solum Dialecticis acceptam referunt.*

Oppon.

Floruerunt multæ artes apud Ægyptios (vt est apud Platonem) ante Dialecticam, ergo non est necessaria.

Resp.

Extiterunt quidem lumine naturæ ac rationis inchoatæ, non certis inuentionis locis discussæ & absolutæ.

CAP. II.

An Dialectica recte definiatur, & an versetur magis circa intentiones quam res ipsas.

Ordiendum a definitione

QVI sibi pensum imponunt in rebus difficilioribus explicandis, id curæ semper habere debent, vt a definitione, si fieri possit commode, auspicentur. Omnis enim inde suscepta disceptatio summam & perspicuitatem & facilitatem pollicetur. Quare nodos nexusque Dialecticos resoluenti, in primis ars ipsa est definienda, ne, dum in oceano mersus profunda quærit, prima principia rerum neglexisse videatur. Est ergo *Dialectica ars artium, & scientia scientiarum*: quippe inseruit reliquis scientijs, vt aiunt, ad manum, nam probandi in omnibus subministrat modum. Hinc etiam definitur, *scientia acute definiendi, accurate diuidendi, elaborate demonstrandi*: Sunt enim, definitio, diuisio, demonstratio instrumenta Dialectices, quibus omnem propositam quæstionem ad viuum discutit. Postremo, a fine describitur, *esse facultas subtiliter disserendi in vtramque partem, de omni quæstione quæ in dubium vocatur*: de omni quæstione dico, non quod omnem quæstionem vi sua, iureque proprio vendicet, quoad materiam, sed quod omnem causam suscipiat, susceptam tractet, quoad disserendi modum. Vnde liquido apparet, hanc artem magis circa intentiones rerum, quam circa res ipsas intelligi. Nam quamuis res sint fundamenta vocum,

Dialectica quid.

Instumenta Dialectices

2. Quæstio tractatur.

vocum, non tamen ex rebus, sed ex vocibus omnis propositio, omnis ratiocinatio, omnis inuentio, locorumque tractatio constituitur, in quibus cardo Dialectices voluitur. Hinc a priscis interpretibus, rationalis, non realis dicitur scientia, vtpote quæ magis in intentione mentis per gyrum rationis, quam in contemplatione rei per modum constitutionis versatur. *Dialectica quare dicitur ars rationalis.*

Prima distinctio.

Definitur Dialectica vel a
- Modo, seu dignitate, & sic est ars artium, scientia scientiarum.
- Instrumento, seu officio, & sic est ars definiendi, diuidendi, demonstrandi.
- Fine, & sic est ars disserendi probabiliter in vtramque partem.

DISTINCTIO SECVNDÆ

Quæstionis.

Secunda distinctio.

Intentio est, vel
- Simplex
  - Primæ impositionis, vt, virtus.
  - Secundæ impositionis, vt, genus.
- Complexa, vt propositio, circa quam vel maxime versatur dialectica: est enim opus dialectices, axioma, seu maxima propositio, in qua vis inuentionis cernitur.

Opponens.

Omnis scientia perfecta est in se, teste Philosopho, primo lib. Analyt. & 6. Ethicorum, ergo non recte definitur ars artium, scientia scientiarum.

Resp.

Est perfecta omnis scientia in se, quoad materiam constitutionis quam tradit, non quoad formam probationis, quam a sola Dialectica quærit.

Oppon.

Metaphysicus definit, diuidit, demonstrat: ergo secunda definitio aliis a Dialecticis conuenit. *Arist. 5. Metaphy.*

Resp.

Metaphysicus quidem definit per contemplationem mentis: Dialecticus vero per applicationem vocis.

Oppon.

Dialectica est indagatrix veri & falsi, ergo non tantum probabiliter disserit in vtramque partem. *Arist. 5 Elechorum.*

Resp.

Omne verum est probabile, sed omne probabile non est verum, quare argumentum non sequitur.

ARGVMENTA IN SECVNDAM quæstionem.

Oppugnatio secunda.

Res solum tractantur in Prædicamentis, quæ sunt prima principia Dialectices, ergo magis circa res versatur, quam circa intentiones.

Resp.

Res tractantur non in constitutione, sed in relatione & ordine propositionis, quæ propositio est intentio.

Oppon.

Res definiuntur, res diuiduntur, res discutiuntur argumento, res ergo solum considerantur.

Resp.

Non res, sed modus rerum definiendi per genus & differentiam, a Dialecticis considerantur.

Oppon.

Modus rei sine re esse non potest, ergo res primum considerari debet.

Resp.

Etsi modus rei sine re esse non potest, tamen scientia alia modi, alia rei esse potest.

CAP. III.

An Dialectica sit scientia practica, vel speculatiua.

Dialectica est scientia.

DVO hic quæruntur: *An Dialectica sit scientia, & an sit practica, vel speculatiua.* Scientiam esse meo iudicio constat, quia per nomen scientiæ definitur. Scio Scotistarum turbam nobis hic esse infestam, qui inflata tuba Dialecticam modum sciendi, non scientiam esse obstrepunt: cæterum istorum importunitati satisfactum iri existimo, si (non vt est sciendi modus, sed vt est ipsius modi certa contemplatio) scientiam esse demonstremus. Est enim Dialectica duplex; Vtens, quæ est modus sciendi; Docens, quæ est ipsa scientia, certo subiecto, nempe quæstione, certo argumento, nempe demonstratione, certo fine, nempe probabilitatis disquisitione confirmata. Age, quanquam scientiam esse agnosco, speculatiuam esse nego. Quid ita Scote? quia argumentatio (quæ est finis Dialectices) opus dicitur. Quid hinc? Opus est finis practicæ non speculatiuæ scientiæ. Cæterum hoc opus non est corporis, vt in arte mechanica; sed mentis, vt in arte Mathematica. Quid? nonne corpus exercetur, cum acerrime vtrinque in disserendo concertetur? Fateor: ergo est opus corporis. At attende, hic labor corporis, vt vmbra sequitur, contemplatio autem operis proprie in re Dialectica ponderatur.

Dialectica duplex.

Anticipatio obiectionis.

Scientia duplex.

Scientia est { Absoluta, in rebus quarum proprietates demonstrantur. / Comparata, in vocibus rebus applicatis: quarum præcepta certis demonstrationibus comprehenduntur, & sic Dialectica est scientia. }

2. Demonst.

Speculatio est, vel { Fidei obiecta, & sic sola Theologia est speculatiua. / Rationi subiecta, & sic omnes liberales artes speculatiuæ dicuntur. }

Opponens.

Intentiones non definiuntur, non demonstrantur; ergo non est earum scientia; sed Dialectica est de intentionibus, ergo non est scientia.

Resp.

Intentiones nec definiuntur, nec demonstrantur absolute, comparate tamen & definiuntur, & demonstrantur.

Oppon.

Omnis scientia habet proprium subiectum: sed Dialectica non habet: quia quæstio est subiectum tam Rhetorices quam Dialectices, ergo non est scientia.

Resp.

Quæstio consideratur duobus modis; vel { *Quoad fidem faciendã rebus, & sic est materia Dialectices.* / *Quoad motum excitandum in animo auditoris, & sic est materia Rhetorices.* }

Oppon.

Omnis scientia est vera & certa, sed Dialectica est solum probabilis, ergo non est scientia.

Resp.

Dialectica duo requirit { *Rem, quam discutit probabiliter.* / *Modum, quem vere definit & demonstrat.* }

ARGVMENTA IN SECVNDAM PARTEM quæstionis.

Opponens.

Finis Dialectices, nempe argumentatio, est opus, ergo ipsa Dialectica est scientia practica.

Resp.

Etsi disceptatio sit quædam actio disserentis, tamen eiusdem cognitio vel contemplatio, nec opus nec actio dici potest.

Oppon.

Id opus dicitur quod a nobis fit, sed argumentatio a nobis fit, ergo opus dici debet.

Resp.

Fit quidem non vi corporis, vt gladius, sed vi mentis, vt sciendi modus & actus.

Oppon.

Dialectica dirigit alios artifices in discutiendis mediis quibus sua opera consiciunt sed ita dirigere est opus practicæ scientiæ, ergo Dialectica est practica.

Resp.

Dirigit in contemplatione locorum, vt sciamus: in speculatione operũ, vt agamus: Discutimus enim rationẽ mediorum ex Dialectica, ipsa vero media non tractamus.

CAP. IIII.

An quæstio sit subiectum Dialectices.

IN omni scientia est quædam materia, circa quam potissimum versatur, quæ aliquando subiectum, aliquando obiectum dicitur. Ab hoc, vt a centro omnes lineæ in circulo, ita omnia præcepta in orbe scientiarum pendent & diriuantur: cuius hoc triplex officium est, vt omnium latissime pateat, vt scientiam (cuius est) distinguat, vt proprietates certas ac definitas scientiæ contineat: An vero *syllogismus* sit hoc obiectum Dialectices, vt Scotus: An *argumentatio*, vt Albertus: an *demonstratio*, vt Ammonius: an *ens rationis*, vt Thomas: an *quæstio probabilis*, vt philosophus putauit, (cum philosophus dixit) non est dubitandum. Est tamen distinguendum (meo iudicio) duplex subiectum, materiale, quod est ens rationis, formale, vt aiunt, quod est quæstio probabilis: De illo Thomas, de hoc Philosophus loquitur. Quod vero quæstio sit illud de quo agitur subiectum, hic punctis dilucide comprobatur, ad quæstionem omnia tam inuentionis quam iudicii præcepta reuocantur, ergo est subiectum. Præterea vt a multitudine Arithmetica, a magnitudine Geometria, ita a quæstione tota Dialectica pendet: adde, quod de quæstione proprietates assignatæ vere demonstrentur in hac scientia. Postremo, quod vnam & distinctam hanc artem faciat: Negari ergo non potest, quin sit subiectum adæquatum eiusdem.

Subiectũ artis est centrũ.

Conditiones subiecti.

Dialecticæ subiectum.

1. Topicorum.

Duplex subiectum.

Quæstio subiectum esse probat.

Conditiones subiecti sunt quatuor.
- Vt omnia præcepta contineat eius scientiæ, ad quam spectat.
- Vt scientiam, cuius est subiectum, vnam & distinctam efficiat.
- Vt latius sua arte non pateat;
- Vt causas & proprietates sui comprehendat.

Conditiones subiecti quatuor.

Opponens.

Omnia in Dialectica sub quæstione non continentur: vt, Prædicamenta, omnesq; simplices voces, ergo non est subiectum.

Resp.

Prædicamenta omniaq; simplicia discutiuntur per quæstionem quod est satis: non enim requiritur, vt omnia in arte aliqua a subiecto denominentur, exempli causa: Omnia in Arithmetica non sunt multitudo, sed sufficit vt ad multitudinem reducantur.

Oppon.

Vnam & distinctam non facit hanc artem quæstio: ergo secunda conditio male traditur. Probatur Antecedens, quia quæstio est materia etiam Rhetorices.

Resp.

Quæstio ad motum destinata aut pro causa sumpta, est Rhetoricæ: Quæstio vero probabilis est propria Dialectices.

Oppon.

Est quæstio in aliis artibus vt, An sint tria principia rerum naturalium in Philosophia: ergo quæstio latius patet sua arte, quod negatur in tertia conditione.

Resp.

Conceditur, quod in omni arte sit quæstio multiplex, quoad materiam subiectam: at quoad formam probandi sola est in Dialectica.

Oppon.

Omnis quæstio est dubia & anceps, quia partes contradictionis habet, vt est in 1. Topicorum: ergo non est certum & definitum subiectum.

Resp.

Est anceps quoad modum interrogandi, certissima tamen, quoad modum disputandi, qui in locis inuentionis præscribitur.

CAP. V.

An inuentio & iudicium sint partes Dialectices.

Intellectus triplex actus.

QVoniam triplex est actio intellectus, nimirum, simplicium apprehensio, qua res singulas intelligimus: compositio, qua res rebus coniungimus: ratiocinatio, qua per examen rationis omnia discutimus: tres partes Dialectices haud pauci constituunt. Cæterum, cum Aristoteles lib. de reprehens. Sophistar. ac 1. Metaphysic. in duas tantum partes, nempe in Inuentionem & Iudicium hanc artem diuiserit: nos ad fontem omnia reuocare cupientes, illam præ cæteris partitionem amplectimur. Quid enim est in hac arte tandem, quod sub hisce partibus non possit coerceri? A fontibus inuentionis fluunt loca confirmandi omnia, quæ semel locorum viribus discussa, lumen, non sine fuga Sophistarum a primo iudicio habent. Primum enim inuenimus, tum inuenta iudicamus; sic ab illa quasi motum, ab hoc quietem & finem huius artis petimus.

Duæ tantum partes Dialectica.

Inuentio motum. Iudicium quietem habet.

Duæ sunt partes Dialectices.
- Inuentio, quæ est locorum & argumentorum excogitatio, explicata in octo libris Topicorum.
- Iudicium, quod est, vel.
  - Inchoatum in simplicibus, quod continetur in libris Prædicabilium & prædicamentorum.
  - Accuratum in cóplexis, quod continetur in libris Priorum & Posteriorum.

Opponens.

A Iudicio sententiam petimus rerum inuentarum; sed in libris Prædicabilium & Prædicamentorum nullam cognitionem rerum inuentarum habemus: ergo sub istis partibus omnia non continentur.

Solutio.

Ex hisce libris confusum Iudicium, non distinctum habemus. Nam vt infantes primum

mum omnes viros patres, omnesq; fœminas matres appellant, confusam parentum suorum cognitionem habentes: ita tyrones in Dialectica, rerum inuentarum ex his minimis principiis inchoatum iudicium habent: discentes enim hæc minima, maiora quasi sub velo pallioque cernunt, diiudicantque.

Oppon.

Reprehensio Sophistarum, & tractatio de fallaciis, non spectat ad iudicium, sed illa tractatio est in Dialectica: ergo omnia sub duabus enumeratis partibus non continentur.

Resp.

Etsi reprehensio Sophistarum non sit directe, & vi sua sub iudicio, reducitur tamen ad hanc partem. Quippe recte quidem iudicare oportet illum, qui alium in re quam discutit arguere conatur.

Oppon.

Veritas est materia demonstrationis, quam indagare est solum philosophorum: ergo libri Demonstrationum non spectant ad vnam harum partium, quæ recensentur.

Resp.

Veritas, sub nomine veritatis simpliciter a Philosopho: veritas autem sub nomine probabilitatis a Dialectico quæritur & tractatur, idq; in demonstratione. Nam quæ vera & necessaria sunt vt probabilia, a Dialecticis discutiuntur.

CAP. VI.

An Nomen & verbum recte definiatur.

Video distrahi multos in varias opiniones de partibus orationis, cæterum, maxime Philosopho addictus, duas tantum esse constituo, Nomen & verbum. Nam quamuis aliæ sint multæ apud Grammaticos, ad venustatem potius, quam ad necessitatem referuntur, quippe in suppetiis quasi positæ, Syncategoremata & ascititiæ dicuntur. Dialectici ergo necessitatem habitumque orationis contemplantes, has solas partes definierunt, ac definitas ad argumentationes texendas destinarunt. Est igitur, *Nomen vox simplex, literis, aut syllabis dimensa, recta, finita, & ad placitum significatiua, sine tempore, cuius pars nulla separata significat.* Per (vocem) sonum ex ore animantis profectum, certisque naturæ instrumentis formatum intellige: Per vocem simplicem (literis aut syllabis ponderatam) omnem indistinctam ac inarticulatam vocem (qualis est latratus canum) exclude: Per (vocem significatiuam ad placitum) omnem vocem rebus significandis pro voluntate humana impositam obserua: Per (significatiuam sine tempore) verbum excludi animaduerte: Per calcem definitionis, nempe (vt sit recta, finita, cuius nulla pars separata significet) obliquum nominis casum. Nomen infinitum, & compositum ab hac definitione arceri puta. Sequitur, vt verbum iam proxime definiatur, *quod est similiter vox simplex, literis vel syllabis dimensa, præsens, finita, & ad placitum significatiua cum tempore, cuius pars nulla separata significat.* In qua descriptione, nulla est omnino dubitatio, si nominis definitio probe percipiatur. In hoc enim solum differunt, quod nomen sine tempore, verbum cum tempore significet: huc adde si placet, quod nomen rationem materiæ, verbum rationem formæ in propositione habeat,

Duæ partes tantum orationis.

Nomen.

Verbum.

vox est vel { Articulata, quæ est literis distincta, & hæc est { Significatiua, vt, homo. / Non significatiua, vt, a b. e b. i b. } ; Inarticulata, quæ est sine prolatione syllabarum, vt cantus auium, latratus canum, &c. }

Instrumenta requisita ad vocem, sunt { Pulmo & aspera arteria, vt spiret animal, Aer inspiratus & emissus, vt vocem ferat, Hypoglottis & lingua, vt vocem forment, Palatum, vt auditum feriat, Dentes & labia, vt vocem distinguant.

Nomen est vel { Primæ intentionis, quod primum impositum est rei significandæ, vt homo, cœlum. Secundæ intentionis, quod secundo quodam ordine est assignatum, sic homo species, sic cœlum genus dicitur.

Nomen & verbum sunt vel { Simplicis figuræ, vt, positio, pono, quorum partes separatæ nec videntur significare aliquid, vt significant. Compositæ, vt compositio, compono, quorum partes videntur quidem separatim significare, sed reuera non significant: cum separatæ non sint reuera partes.

Opponens.

Participia, adiectiua, & reliquæ partes orationis ad propositionem componendam sæpe adsciscuntur, ergo solum nomen & verbum non sunt partes orationis.

Resp.

Participia & adiectiua recte sub nomine continentur: reliquæ vero potius nexũ verborum quam sensum, existentiam propositionis magis quam essentiam respiciunt

Oppon.

Forma est de essentia, sed coniunctio est forma hypotheticæ propositionis, ergo est de essentia.

Resp.

Coniunctio non est forma hypotheticæ meo iudicio, sed potius connexio duarum categoricarum per Coniunctionem.

Oppon.

Separatæ partes nominum compositorum, vt Respub. aliquid significant, ergo male definitur nomen.

Resp.

Vt sunt partes non significant: vt sunt dictiones, per se significant. Sunt enim separatæ non partes, sed per se voces integræ & completæ.

Oppon.

Dies, annus, hora sunt nomina, sed significant tempus, ergo male definitur.

Resp.

Per tempus præsens, preteritum, futurum intelligitur, quod non est in nomine: aut si velis, per tempus variatio inflexioq; temporis insinuatur.

CAP. VII.

An in præceptis Dialecticis tradendis, ordiendum sit a definitione, & quid sit?

Ordo est filũ in labyrintho.

IN arte perdiscenda vix recte progrediuntur illi, qui discentes multa sine ordine, dediscere coguntur non pauca, sine fructu: vt enim est centrum in circulo, filum in labyrintho, ita est ordo in scientiarum studio. Nam sicut nautæ in cæca nocte, sæpe & sui, & rerum omnium naufragium faciunt; ita qui sine ordine quicquam conantur, in scopulos cæcitatis sese impingunt: nec aliter agunt, quam qui longum suscipiunt iter, viamque rectam non ingrediuntur. Quare, vt in rebus omnibus, ita vel maxime in artibus enitendum est, vt ordine tanquam gnonome dirigamur. Verum, cum duplex sit ordo: naturæ qui est a confusis ad certa, a simplicibus ad composita; doctrinæ, qui illi ex aduerso respondet: hunc

qui

qui est doctrinæ in primis præceptis tradendis, solum imitandum esse existimo. Primum ergo a definitione auspicandum erit. Nam cum Dialectica sit ars definiendi, diuidendi & demonstrandi, horum trium, vt primum occurrit, tractanda definitio. Quippe frustra instituitur de re aliqua disceptatio, si quid res sit, in primis non intelligas; at quid sit, docet sola definitio: quare in primo aditu lucubrationis nostræ de definitione non iniuria disputabitur. Verum, cum duo hic spectari solent, res & modus, non rem ipsam, sed potius definiendi modum hoc loco proponimus: hoc est, non quid homo, quid anima, quid leo, quæ res sunt, sed quid definitio in communi sit, explicare contendimus. Hoc autem ideo facimus, vt cognito modo definiendi in genere, singularum rerum definitiones ad hanc normam relatæ, quasi ad Lydium lapidem probe examinentur. Est ergo, *Definitio oratio*, (id est, series distinctonum congrue vnitarum) *quæ quid sit id, de quo agitur*, (id est definitum) *ostendit quàm breuissime*, (id est per genus, quod materiam: per differentiam, quæ formam imitatur.)

Ordo duplex
Ordo doctrinæ seruãdus in præceptis tradendis.
Quæstionis status.
Definitio quid.

In definitione spectantur
- Partes
  - Definitum a definiendo dictum, quod est vox prima, de qua quæritur; vt, homo,
  - Copula, a copulando, quæ est verbum substantiuum, vt (*est.*)
  - Genus, quod est quasi materia; vt, animal.
  - Differentia, quæ est quasi forma; vt Rationale.
- Species
  - Descriptio, quæ est oratio constans ex genere & proprio; vt, homo est animal risibile.
  - Notatio, quæ est oratio constans ex accidentibus; vt, *Os homini sublime dedit, cælumque videre Iussit.*
  - Interpretatio, quæ est oratio constans ex synonymis; vt, honestum est quod decet.
- Leges
  - Æqualitas definitionis cum definito; vt, homo est, ergo animal rationale: Animal rationale, ergo & homo.
  - Veritas, quæ est, vt Tota essentia explicetur: quod fit, si genus & differentia insint.
  - Perspicuitas, vt, omne obscurum a definitione arceatur tam voce quam sensu. Vt, canis.

Opponens.

Post nomen & verbum proxime traderetur propositio, cuius partes sunt, nomen & verbum, ergo à definitione non esset incipiendum.

Resp.

Quanquam Nomen & Verbum sint partes propositionis, tamen, quia incognita definitione, quid sit propositio cognosci non potest, primum de definitione agendum est.

Oppon.

Definitio est intentio, sed nulla intentio definitur 2. Demonst. ergo definitio non definitur.

Resp.

Nulla intentio definitur vi sua (quia ens non est) definitur tamen in comparatione rerum quibus accommodatur.

Oppon.

Rodolphus dicit, nullam esse veram differentiam, ergo nulla est vera definitio. *Lib. 1.*

Resp.

Rodolphum non audio, rationem requiro: tam diu enim veræ habentur differẽtiæ, donec falsæ esse ratione probantur.

Oppon.

Descriptio, notatio, interpretatio non suscipiunt definitionem definitionis, ergo non sunt species.

Resp.

Species est duplex
- *Propria, quæ suscipit definitionem sui generis, vt homo definitionem animalis.*
- *Analogica, quæ non suscipit, & sic descriptio, notatio, interpretatio sunt species definitionis.*

Oppon.

Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora, ergo frustra traduntur leges definitionis, cum satis antea per explicationem suam intelligatur.

Resp.

Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora, nisi perspicuitatis causa.

CAP. VIII.

Vtrum diuisio recte assignetur.

Dialectica definiendo obscura, diuidendo confusa, demonstrando incerta, vsum in reliquis scientijs habet amplissimum. Cum ergo quid sit definitio explicuerimus (per quam natura,) nunc, quid sit diuisio (per quam potentia & significatio intelligitur) docere oportet. Nam vt potestas in rebus ipsis naturam, ita diuisio (quæ est potestatis explicatio) definitionem proximo loco sequitur. Est ergo diuisio communioris in minus communia deductio: cuius vsus est, vt voces quæ fusius patent, in suas certas ac definitas significationes distribuantur. Exempli causa: Virtutum: aliæ moris, aliæ mentis: Moris, vt iustitia, fortitudo, temperantia: Mentis, vt, ars, Scientia, Prudentia, intelligentia.

Diuisio quid

Ad diuisionem spectant
- Partes,
  - Diuisum, quod diuiditur: vt, animal, virtus.
  - Membra diuidentia, quæ diuidunt, vt, homo, bellua.
- Species,
  - Partitio, quæ est progressio a toto ad partes, vt homo est, ergo anima & corpus.
  - Enumeratio, quæ est a partibus ad totum reductio, vt, est anima & corpus, ergo homo:
  - Distinctio, quæ est multiplicis explicatio, vt canum, alius cælestis, alius marinus, alius domesticus.
- Leges.
  - Oppositio membrorum, vt, Rationis compos, & expers rationis.
  - Compositio membrorum cum diuiso, vt, quicquid est animal, est vel homo, vel brutum, & ex aduerso.
  - Reductio ad duo membra, si fieri possit commode.

Opponens.

Definitio ac diuisio partes sunt inuentionis, nam ab illis loca & argumenta petuntur, ergo hic non tractarentur.

Resp

Resp.

Definitio ac diuisio considerantur, vel { In modo constitutionis, & sic hoc loco tractantur. / In forma argumentationis, & sic in libris Topicorum explicantur.

Opponens.

Multa sunt alia genera diuisionis, vt generis in species, generis in differentias, subiecti in accidentia, accidentis in subiecta, vocis in significata, sed horum in hoc tractatu nulla est mentio, ergo parum attentè tractatur.

Multiplex diuisio.

Resp.

Hæc omnia genera facile reducuntur, & rectè sub prima definitione continentur

Oppon.

Membra diuisionis semper nec sunt opposita, nec solum duo, vt in diuisione virtutis patet, cuius membra, vt Iusticia, Fortitudo, Temperantia, Prudentia simul inesse possunt vni Catoni; proinde non sunt opposita. Quod vero tantum duo non sint, liquido apparet, ergo leges illæ diuisionis non consultò adhibentur.

Resp.

Etsi non sint opposita in subiecto, sunt tamen repugnātia in termino, & suo prædicamento, vt aiunt in quo diuersas definitiones sortiuntur. & quāuis duo non sint, reduci tamen possunt, quod est satis, vt, virtutum aliæ morales, aliæ intellectuales dicantur. Huc adde, quod non necessario requiratur, vt sint tantum duo, sed si fieri possit commode: idque vel maxime in internis, non externis partitionibus rerum.

Opponens.

Membra semper non reciprocantur cum diuiso, vt patet in dicta diuisione virtutis, nam omnis virtus non est aut iustitia, aut fortitudo, aut temperantia aut sapientia, ergo lex illa quæ hoc requirit, est reiicienda.

Resp.

Omnis virtus est secundum Ciceronem, vel vna harum, vel sub vna harum, comprehensa.

Opponens.

Membra omnis diuisionis sunt minus communia diuiso, sed minus communia cum communioribus non conuertuntur, vt ait Arist. in Post prædicamentis, cap. de priore: ergo nulla membra conuertuntur cum diuiso.

Resp.

Membra diuisionis considerantur, vel { diuisim, & sic non conuertuntur. / coniunctim, & sic conuertuntur.

CAP. IX.

An Oratio & Propositio rectè definiantur?

VT in extruenda domo primum partes colligere, tum totum ædificium componere solent artifices: ita in scientia tradenda hunc ordinem sequi debemus: vt præclare iactis fundamentis, intellectisque principijs, altiora reseremus. Postulat ergo nunc ordo doctrinæ, nomine & verbo definitis, (quæ sunt partes orationis ac propositionis,) vt ipsam Orationem ac propositionem definiamus. *Est igitur oratio series vocum ad placitum significantium, cuius partes separatæ aliquid significant. Est Propositio Oratio indicatiua, congrua perfecta, verum aut falsum sine ambiguitate significans.* Primum orationis definitio ex nominis & verbi definitione elucescit. In hac propositionis definitione sex mihi videntur esse ponderanda: Primum, vt sit *oratio*, per quam simplices voces excluduntur.

Ordo scientiæ tradendæ.

Oratio quid. Propositio quid.

Secundum, vt sit *indicatiua*, id est, sub Indicatiuo modo, idque vel absolute in præsenti tempore: vt, virtus post funera viuit, aut comparate in præterito & futuro: vt, Plato vixit, eclipsis erit. Tertium, vt *congrua*, id est, a Grammaticis regulis non aliena. Quartum, vt sit *perfecta*, id est, vt quæque dictio suam certam, finitam & indubitatam habeat significationem. Quintum, vt sit *vera* vel *falsa*, simpliciter quoad rem subiectam, quamuis aliquando sit dubia & anceps, quoad personam. Sextum, vt sit *sine omni ambiguitate*, siue in voce simplici, quæ Homonymia: siue in tota oratione, quę amphibologia dicitur. Siue ergo sit vox vna multiplex, vt canis, siue tota oratio sit perturbata: vt, *vrbs erit orba metu, cum venerit orbis in vrbem*: statim eodem labefactata motu concidit propositio.

Oratio est vel
- Perfecta, quæ ingerit perfectum sensum in animum auditoris: vt, Plato est sapiens.
- Imperfecta, quæ imperfectum sensum habet: vt, homo albus.

In propositione consideranda sunt
- Vsus
  - Communis, & sic est pars orationis in Rhetorica, pars epistolæ in Grammatica, &c.
  - Proprius
    - Proximus, vt veri & falsi inuestigatio.
    - Remotus, vt ipsa argumentatio, ad quam refertur.
- Partes
  - Materiales
    - Nomen.
    - Verbum.
  - Formales
    - Copula vel potius,
    - Habitudo subiecti ad prædicatum per copulam.
- Natura
  - Realis, in rebus de qua postea.
  - Intentionalis, in vocibus rebus applicatis, de qua natura hic agitur, quippe non res, sed intentio hic definitur.

Opponens.

Oppugnatio quæstionis.

Nullum complexum definitur; sed omnis oratio est complexum, ergo nulla ratio definitur.

Respondens.

Oratio accepta pro re subiecta vel significata, est complexum, verum vt est intentio simplex dicitur.

Opponens.

Nullæ literæ aut syllabæ aliquid significant; sed aliquæ partes orationis sunt literæ & syllabæ, ergo aliquæ partes orationis nihil significant.

Resp.

Literæ ac syllabæ sunt partes remotæ non proximæ, quæ hic solum intelliguntur.

Opponens.

Ningit, pluit, disputat, sunt propositiones, sed hæc non sunt orationes, ergo male per orationem definitur propositio.

Resp.

Est propositio vel
- *Implicita, quæ in verbo vno occultatur resoluiturq́; per participiũ præsentis temporis, vt, ningit, id est cælum est ningens.*
- *Explicita, in qua sunt omnes partes orationis: vt, Cæsar est clemens*

Opponens,

Probabile est medium inter verum & falsum; sed omnis propositio Dialectica debet

debet eße probabilis, vt habetur primo Topicorum ergo omnis propositio non est vera aut falsa, vt hic definitur.

Resp.

Simpliciter vera vel falsa eße debet quoad materiam constituentem, non quoad personam dubitantem.

Opponens.

Veritas & falsitas sunt solum in rebus substratis propositionibus, vt est apud Arist. in vltima proprietate substantiæ, ergo non sunt in propositione.

Resp.

Verum & falsum sunt in { *Re, vt in subiecto.* / *Propositione, vt in signo.* / *Mente, vt in termino vel medio.* }

CAP. X.

An recte diuidatur propositio secundum substantiam.

DEfinitioni Propositionis iure succedit diuisio. At vero, cum quadruplex sit eiusdem diuisio, ea quæ est secundum substantiam merito prima esse debet. Nam substantia, cuiusque rei basis est & fundamentum. Diuiditur ergo propositio secundum substantiam in simplicem; quæ Categorica; & Copulatam, quæ Hypothetica appellatur. *Categorica est vna simplex oratio, constans vel aperte vel occulte ex vno subiecto, vna copula, vnoque prædicato,* vt, Plato est Philosophus. *Hypothetica, est oratio copulata, constans ex duabus Categoricis coniunctione Grammatica inter se deuincta:* vt, Plato & homo est, & animal est. Hinc patet coniunctionem in Hypothetica, formæ habere locum. Quare vt sunt tria præcipua coniunctionis genera apud Grammaticos, ita tres species Hypotheticæ propositionis ab illis cognominatæ sunt apud philosophos: nempe conditionalis, cuius coniunctio in fronte propositionis; copulatiua, cuius coniunctio in medio collocatur: quarum exempla infra demonstrantur.

Diuisio hæc cur primo statuitur.

Categorica.

Hypothetica

Hypothetica forma.

In Categorica propositione spectantur quatuor. {
- Ordo quo præcedit Hypothaticam. { Quia est simplicior. / Quia est perfectior. / Quia est pars eiusdem. }
- Materia quæ est { Subiectum, vt homo. / Prædicatum, vt animal. }
- Forma, quæ est subiecti & prædicati habitudo, per copulam.
- Finis, quæ est argumentationis constitutio. }

Subiicitur aliquid trifariam {
- Loco, vt terra cælo.
- Ordine, vt sensus animo.
- Prædicatione, quod hic intelligitur respectu alterius, quod sibi attribuitur; sic Plato, subiectum est respectu hominis. }

Subiectum triplex.

Copula dicitur, vel { Quia voces connectit apud Grammaticos. / Quia partes propositionis in sensu coniungit, & sic apud Dialecticos accipitur. }

Prædicatum est totum illud quod sequitur copulam in propositione.

Opponens.

Propositio, cum sit intentio, non habet substantiam. 5. Metaphys. ergo non recte diuiditur secundum substantiam.

Oppugnatio quæstionis.

Resp.

Duplex substantia, alia { *Vera, quæ est in prædicamento substantiæ, vt homo.* / *Analogica, quæ est in oratione, omnique intentione.* }

Oppon.

Vna species, nec prior est altera, nec alteram constituit: sed Categorica est prior Hypothetica, eamq; constituit, ergo non est species.

Resp.

Non est prior natura, nec alteram constituit, vt forma: quamuis vt materia in propositione Hypothetica comprehenditur.

Oppon.

Forma Categoricæ propositionis est in Hypothetica: ergo constituit, vt forma.

Resp.

Est quidem forma Categoricæ in Hypothetica, sed ad modum materiæ, non ad modum formæ.

Opponens.

Hypothetica propositio non constituit argumentationem in modo & figura: ergo otiosa est eiusdem tractatio: nam omnia hic ad argumentationem referri deberent.

Resp.

Etsi parum spectat, tractanda tamen est, vt potius euitetur quã recipiatur: vel dicendũ est, quod duplex sit syllogismus, nempe Simplex, qui ex Categoricis; copulatus qui ex Hypotheticis constat; ad illum non spectat, ad hunc requiritur.

CAP. XI.

An recte diuidatur propositio Categorica secundum qualitatem & quantitatem?

Qualitas propositionis quæ?

VT qualitas propositionis, tam dignitatis, quam perfectionis ordine quantitatem præcedit: ita diuisio hæc secundum qualitatem, illam secundum quantitatem præcedere quoque debet. Est autem qualitas propositionis, non aliter ac eiusdem substantiæ, nempe non re, sed ratione: non natura, sed conceptu: non absolute, ex constitutione; sed comparate ex similitudine & proportione consideranda. Diuiditur secundum qualitatem in affirmantem, quæ est, in qua prædicatum dicitur de subiecto: vt, Plato est homo: & negantem, quæ est, in qua prædicatum negatur de subiecto: vt, Plato non est lapis. Quantitas in propositionibus quantitatem in rebus imitatur: nam vt quam magnum & quam numerosum est subiectum, per eam cognoscimus: ita quam late patet, quam stricte coercetur propositio, per hanc qualemcunque quantitatem intelligimus. Est ergo quantitas propositionis, amplitudo eiusdem vel latius fusa, vel pressius contracta: diuiditurque in vniuersalem, quæ est cum signo generali communi subiecto præposito: vt, Omnis homo est mortalis. In particularem, quæ est cum signo particulari, vt, Quidam homo est doctus: in Indefinitam, quæ est sine signo: vt, Homo est mendax: postremo, in Singularem, quæ est, vel ex proprio nomine: vt, Plato est philosophus, vel ex pronomine demonstratiuo: vt, Hic homo est musicus: vel ex suppositione, vt Sophronisci filius, id est, Socrates.

Quantitas propositionis

Quantitas quid?

Qualitas est vel { Rei, vt Splendor Solis. / Vocis { Simplicis, vt significatio. / Complexæ, vt { Negatio. / Affirmatio. } } }

Negatio

Negatio est
- Priuans in compositione, vt indoctus.
- Infinitas in negatione ante vocem finitam; vt, non homo.
- Mixta, partim negans, partim affirmans; vt, non aliquis, non omnis.
- Negans, quæ posita est proxime ante copulam, & hæc proprie negantem facit propositionem; vt, Plato non est lapis.

In quantitate propositionis considerantur.
- Signum
  - Simplex, quod præter signum nihil significat, vt, omnis: nullus.
  - Mixtum, quod præter signum aliud significat, vt semper, vbique: quæ præter signum, tempus & locum repræsentant.
- Proportio, quæ est amplitudo significationis.
- Vlus, vt quam late pateat quæuis propositio per signum intelligatur.

In quātitate propositionis consideranda tria.

Singularis propositio fit, vel
- Ex proprio nomine, vt Plato est homo.
- Ex pronomine demonstratiuo: vt hic homo est doctus.
- Ex hypothesi; vt, Mariæ filius est Iesus.

Versus qui sequitur te respondere docebit,
Cum quisquis te quæ qualisque & quanta rogabit.
Quæ Ca vel Hyp. Qualis Ne vel aff. v. quanta par. in. sin.

Vt apte interrogatis apposite respondeas, veteres interpretes hos versus memoriæ causa tradiderunt. Si ergo quis interroget quænam sit propositio: Responde, Categoricam vel Hypotheticam: Si qualis, responde Negatiuam vel Affirmatiuam: Si quanta, responde uel vniuersalem vel Particularem, vel Indefinitam vel Singularem.

Oppones.

Negatio est non ens, ergo non est qualitas propositionis.

Resp.

Negatio rerum est non ens; at negatio cohærentiæ inter prædicatum & subiectum relationem tollit, rem vero non tollit.

Oppon.

Negatio negans tollit formam propositionis: sed sublata forma non est propositio, ergo negans non est propositio.

Resp.

Etsi negatur forma quoad realem coherentia prædicati cum subiecto, non tamen negatur forma, id est, copula, quoad vocalem vnionem vnius cum altero.

Oppon.

Vniuersalis propositio, in 2. Topicorum. loco ab instantia, dicitur, quæ nullam instantiam patitur: vt, Omnis homo est animal: sed hic vniuersalis definitur, in qua communi subiecto signum vniuersale præfigitur; vt, Omnis homo est doctus: quæ propositio instantiam patitur: ergo aut hic aut illic parum considerate tractatur.

Resp.

Duo in vniuersali propositione considerantur
- *Vis argumentationis, & sic vniuersalis dicitur solum, quæ nullam instantiam habet.*
- *Modus constitutionis, & sic vniuersalis est illa, in qua est vniuersale signum, etsi non cohæreat in omnibus.*

Oppon.

Sunt quatuor membra in hac diuisione, ergo non est bona per tertiam legem.

Resp.

Reduci potest ad bimembrem hoc modo: vt, Omnis propositio, Categorica secundum quantitatem sit vel { *Cum signo, vt* { *Vniuersalis.* *Particularis.* } *Sine signo, vt* { *Iudefinita.* *Singularis.* } }

CAP. XII.

An Propositio rectè diuidatur secundum materiam.

Materia in qua intelligenda. *Materia vera.* *Falsa.* *Necessaria.* *Contingens.*

POstrema diuisio propositionis est secundum materiam, non eam quidem, ex qua constat, sed in qua versatur. Nam illa est subiectum & prædicatum: hæc autem est veritas, falsitas, necessitas, contingentia. Vera est propositio cuius prædicatum consentit cum subiecto; vt, Homo est sua natura liber. Falsa est, cuius prædicatum penitus dissentit, vt, Homo est lapis. Necessaria, cuius prædicatum sine interitu subiecti remoueri non potest; vt, Homo est animal. Contingens, cuius subiectum illæsum manet si tollatur prædicatum: vt, Plato est doctus. Reduci potest hæc diuisio ad bimembrem, si dicas omnem Categoricam propositionem secundum materiam esse, aut possibilem, vt vera: aut impossibilem, vt falsa.

Materia propositionis est duplex. { Ex qua constat, vt { Subiectum. Predicatum. } In qua versatur. { Communis, vt probabilitas. Propria, quæ hic tractatur } }

Vera propositio est vel { Re, quæ immobilis & immutata manet; vt, Sol est splendidus. Opinione, quæ est tantum probabilis, vt mater plus diligit filium quam pater. }

Falsa est { Aperta; vt, Homo est lapis. Tecta & sophistica: vt, Homerus est cæcus. }

Necessaria est { Absoluta, cum definitio prædicatur: vt, homo est animal rationis compos. Ex parte cum genus dicitur: vt, animal: differentia, vt rationale: proprium, vt risibile. }

Oppon.

Est proprium propositionis esse aut veram aut falsam, vt patet in definitione, ergo non est eius materia.

Resp.

Est proprium significare verum vel falsum, est autem veritas & falsitas eius obiectum seu materia, circa quam versatur.

Oppon.

Materia propositionis & quæstionis, vt habetur primo Topicorum, est probabilitas, ergo veritas non est.

Resp.

Omne verum est probabile, sed non ex aduerso: quare etsi exquirit veritatem, eam tamen tractat probabiliter: dicendum ergo est, quod probabilitas sit materia communis non propria vt suprà.

Oppon.

Coruus est niger, cygnus est albus, aqua est frigida, sunt propositiones contingentes sed earum prædicata tolli non possunt, ergo male definitur contingens.

Resp

Resp.

Etsi re non possunt quoad existētiam subiecti, composito tamen intellectu possunt quoad essentiam; simplex enim essentia res in simplici manet intellectu, etsi omnia tollantur accidentia.

DE OPPOSITIONE.


CAP. XIII.

An oppositio recte definiatur.

Finitis diuisionibus propositionis, quædam eiusdem affectiones & proprietates sequuntur: nimirum, Oppositio, Æquipollentia, Conuersio: quæ tria non solum ad texendum syllogismum, sed etiam ad reducendum sunt necessaria. Oppositio vt vnum in Dialectica maxime patens, reliqua præcedit: Definiturque repugnantia duarum propositionum Categoricarum pugnantium, vel in qualitate sola, vt contrariæ & subcontrariæ, vel in quantitate sola, vt subalternæ, vel in vtraque vt contradictoriæ. Nam in hæc quatuor genera diuiditur Oppositio. Contrariæ sunt in fronte figuræ; subcontrariæ in calce; subalternæ in duobus lateribus; contradictoriæ in quatuor angulis vt patet.

Oppositionis affectiones

Oppositio quid.



Oppositio est vel { In simplicibus, quæ tractantur in post-prædicamentis, vt ——— { Contraria. Relata. Priuantia. Contradicentia.
In complexis, quæ hoc loco diuiditur. }

Requiruntur ad oppositionem {
Concertatio propositionum, vel in qualitate, vel in quantitate, vel in vtroque.
Participatio terminorum, id est, vt propositiones sint eiusdem subiecti & prædicati.
Collocatio in figura. Hinc singulares propositiones oppositæ excluduntur.
Consecutio, vt si vna sit vera, altera sit falsa, nisi in quibusdam, quæ postea explicantur.
Interpretatio Regulæ, vt {
1 Contrariæ in materia contingenti sint simul falsæ, vt omnis homo est doctus: Nullus homo est doctus.
2. Subcontrariæ in materia contingenti sint simul veræ, vt quidam homo est iustus: quidam homo non est iustus.
3. Subalternæ in materia necessaria sint simul veræ aut falsæ, vt, Omnis homo est animal: Quidam homo est animal.
4. Contradictoriæ in materia nulla simul aut veræ aut falsæ esse possint, vt. Omnis homo est animal, Quidam homo non est animal. } }

Oppon.

Oppugnatio quæstionis. *Aristoteles, in libro Interpretationis, mentionem non facit subalternarum propositionum, ergo male diuiditur oppositio.*

Resp.

Agit illic philosophus de oppositione propositionum in veritate & falsitate, & non in quantitate & qualitate.

Oppon.

Plato est homo, & Plato non est homo sunt opposita, sed non sunt sub istis quatuor generibus, ergo non recte diuiditur.

Resp.

Reducuntur ad contradicentes, quamuis directe sub figura non contineantur.

Opponens.

Omnis homo est corpus, Nullum animal rationale est corpus, sunt contrariæ: sed in his non est participatio communium terminorum; ergo illa conditio frustra ponitur.

Resp.

Etsi sint oppositæ contrariæ, quoad rem, quia definitio nihil aliud est quã definitũ: tamen non opponuntur quoad modum & regulam oppositionis.

Oppon.

Omnis repugnantia est rerum. 3. Metaphys: ergo non est propositionum oppositio.

Resp.

Est oppositio in { *Re, vt in subiecto, quod continet, de qua illic agitur.*
Propositione, vt in signo quia significat res inter se dissidere: & de hac solum hoc loco disputatur. }

CAP. XIIII.

An Æquipollentia probe tractetur.

Ratio ordinis

Oppositionem proxime sequitur æquipollentia, quæ est reconciliatrix propositionum prius oppositarum, ita, vt tam in qualitate, quam in quantitate summa vtriusque fiat consensio; idque ratione negationis varijs modis affectæ, locisque diuersis positæ. Si enim præ signo in vna contradicentium collocetur, fit inter illas conspiratio, alteriusque ad alteram consecutio: vt, Non omnis homo est animal, idem est, ac si diceres: Quidam homo non est animal. Si vero post subiectum in vna contrariarum ponatur, idem contingit. Si denique & præ signo, & post subiectum in vna subalternarum figatur, vtriusque erit in qualitate & quantitate eadem omnino ratio. Hæc omnia patent per versum vulgo iactatum.

Negationis varia positio.

Præ: contradic. Post, contra. Præ: postq́ subalter.

Quatuor æquipollentiam absoluũt
- Dispositio negationis, vel
  - Ante signum in contradicentibus.
  - Post subiectum in contrariis.
  - Præ signo & post subiectum in subalternis.
- Consensio terminorum in qualitate & quantitate.
- Consecutio necessaria
  - Non quoad figuram, vt in syllogismo.
  - Sed quoad materiam in probabili argumẽto.
- Regula reducendi syllogismorum imperfectorum de qua postea.

REGVLA DE NEGATIONE.

Oppon.

Oppugnatio quæstionis.

Negatio negans locum habet ante copulam, vt ante definitur: sed in æquipollentia contradicentium ponitur ante signum, ergo aut illic aut hic male definitur.

Resp.

Negatio negans est vel in
- *Virtute seu facultate ante signum, vt in æquipollentia contradicentium sicut, non omnis.*
- *Signo posita, vt Nullus.*
- *Loco proprio ante copulam, vt, non est.*

Oppon.

Contradicentia pugnant in omnibus ergo æquiualere non possunt.

Resp.

Vt contradicentia sunt, pugnant in omnibus; reconciliata tamen conspirant & æquipollent.

Oppon.

Non est regula reconciliandi subcõtrarias, ergo absolute de æquiualẽtia nõ agitur.

Resp.

Continentur sub lege cõtrariarũ, in quarũ altera negatio postponẽda est subiecto

DE CONVERSIONE.

CAP. XV.

An recte assignetur conuersionis definitio.

Conuersio quid.

Postrema affectio propositionis est conuersio, quæ definitur, Transmutatio subiecti in locum prædicati, & prædicati in locum subiecti. Sunt in conuersione propositiones duæ: conuersa, quæ prima: conuertens, quæ secunda dicitur. Hæ rite secundum integrum prædicatum & subiectum reciprocatæ, nexum habent probabilem, vt ab illis firma fiat argumẽtatio. Diuiditur Conuersio in tres species, nempe in simplicem,

Conuersionis species.

per accidens, & per contrapositionem: quarum sensus in antiquo versu exponitur, quarumque vsus in reductione syllogismorum frequens cernitur: versus hic est,

Ecce; ubi; sim: armi; geros; acc: arma; bono; con.

Animaduerte in hoc versu solum quatuor vocales: A. quæ vniuersalem affirmantem: E quæ vniuersalem negantem: I. quæ particularem affirmantem; O. quæ particularem negantem propositionem significat, iuxta illud:

Asserit A. negat E sed vniuersaliter ambæ.
Asserit I negat O. sed particulariter ambo.

Huc adde, quod vsus primi versus sit in distincte notandis vocalibus singulis dictionibus insertis, vt exempli gratia: In prima voce, Ecce: bis E reperitur: ambæ ergo propositiones sunt vniuersales negatiuæ: nam prima vocalis primam, secunda secundam propositionem in quauis dictione significat. Fiat ergo secundum regulam talis conuersio;

Ec Nullus homo est lapis: ergo
ce: Nullus lapis est homo.

Vt in hac, ita in reliquis vocibus agere oportet. Obseruandum tamen est in dictione, *Arma*, ad conclusionem inferendam terminos finitos primæ propositionis, terminos infinitos in secunda fieri debere: quod fiet, si proxime & immediate, vt aiunt, subiecto & prædicato Negatio præfigatur. Vt,

Ar: Omnis homo est mendax, ergo
ma: Omne non mendax est non homo.

Conuersio est
- Simplex
  - Absoluta, quæ est definitionis cum definito, propriæ passionis cum subiecto.
  - Respectiua, quæ est relati cum correlato.
- Complexa, quæ est propositionum.

Conuersionem absoluunt.
1. Definitio, quæ ante traditur.
2. Explicatio vocalium quæ in præcedentibus docetur.
3. Consecutio tenens quoad materiam, non quoad formam.
4. Cautio, vt prædicatum conuersæ & re & voce fiat subiectum in conuertente.

Opponens.

Oppugnatio quæstionis.

Omnia propria, omnes definitiones, omnia relata conuertuntur, ergo definitio cōuersionis aliis a definito conuenit.

Respondens.

Illa conuertuntur vt simplicia, hæc vero vt complexa.

Opponens.

Hæ propositiones in simplici conuersione non sequuntur.
Nullum mortuum est homo, ergo nullus homo est mortuus.
Nullus senex erit puer, ergo nullus puer erit senex.
Quidam homo est in domo, ergo quædam domus est in homine.

Resp.

Conditiones conuersionis sunt, vt
- *Non disputetur a termino restrictionis ad non restrictum, vt est in primo exemplo.*
- *Non fiat conuersio in futuro, vt est in secundo exemplo.*
- *Totum subiectum conuersæ fiat prædicatum conuertentis, quod non fit in tertio exemplo.*

Opponens.

Oppon.

In voce Armi non sequitur: Omnis homo videat lapidem: ergo quidam lapis videat hominem.

Resp.

Omnis conuersio in recto fieri debet: vt, Omnis homo est videns lapidem, ergo quiddam videns lapidem est homo, bene sequitur.

Oppon.

In Arma: Finita nomina fiunt infinita, sed infinita nomina reiiciuntur ab arte, vt patet ante per definitionem nominis, vbi requirit philosophus, vt sit vox finita; ergo conuersio per Contrapositionem non probatur.

Resp.

Nomina fiunt infinita, vel
- *Voce solum, & sic in hoc exemplo.*
- *Sensu, & sic reiiciuntur ab arte.*

CAP. XVI.

Vtrum argumentum & argumentatio recte tractentur.

OPus, instrumentum, & finis Dialectices est argumentatio: Opus quod fit: Instrumentum, quo vtitur: Finis, ad quem refertur. Huc tota iam ante habita de propositione spectat disceptatio. Huius pars Argumentum est; quod definit Cicero, probabile inuentum; Rhodolphus, argumentationis medium; Boetius, Rationem rei dubiæ facientem fidem. Hinc argumentatio est argumenti per partes, id est per diuersas propositiones explicatio, ex qua semper conclusio aperte vel saltem occulte insinuatur: per quam non solum vrgetur, sed etiam aliquando cogitur aduersarius aliquid in causa proposita confiteri. *Argumentatio. Argumenti definitiones. Argumentationis definitio*

Argumentum sumitur, vel
- Communiter & vulgo pro tota argumentatione.
- Proprie pro vna ratione quæ dubiæ quæstioni adhibetur.

Argumentatio consideratur, vel
- Quoad modum & artem constituendi, vt hoc loco & libris Priorum.
- Quoad vsum disserendi & inueniendi, vt in 1. libro Topicorum.

Ad argumentationem requiruntur
- Materia
  - In qua versatur duplex; vel
    - Veritas, vnde demonstratio.
    - Probabilitas, vnde ratiocinatio Dialectica nascitur.
  - Ex qua conflatur
    - Remota, vt terminus.
    - Proxima, vt propositio.
- Forma, quæ est modus & figura.
- Vsus, qui est
  - Verum a falso distinguere.
  - Probabiliter omnem quæstionem discutere.
  - Punctis aduersarium vincere.

Opponens.

Ex certissimis propositionibus fit argumentum; vt, Homo est animal; Deus est æternus: sed in his fides non fit rei dubiæ, ergo definitum conuenit eis, quibus definitio argumenti non conuenit.

Resp.

Etsi dubia non sint respectu materiæ existentis, sunt tamen dubia respectu personæ dubitantis.

Opponens.

Argumentum & argumentatio sunt coniugata, sed coniugata natura non differunt, ergo argumentum & argumentatio non differunt.

Resp.

Coniugata proprie sunt in rebus, non in intentionibus, qualis est argumentatio.

Oppon.

Argumentatio sophistica procedit ex fallacibus; sed hæc non est explicatio argumenti, id est, medii probabilis, ergo male definitur.

Resp.

Sola Dialectica argumentatio hic definitur.

CAP. XVII.

Utrum recte diuidatur Argumentatio.

Diuisionis partes.

DEfinitionem Argumentationis sequitur diuisio eiusdem in Syllogismum, Enthymema, Inductionem & Exemplum; quorum illa validiora, hæc magis popularia; illa proprie Dialectica, hæc oratoria recte haberi debent. De Syllogismo, qui est Dialecticorum telum acutissimum, prima & maxima instituitur disputatio: Definiturque oratio, in qua quibusdam positis & concessis, riteque in modo & figura dispositis, necessario sequitur conclusio. In hac definitione, tria mihi videntur insinuari; Materia, forma, finis Syllogismi: Materia, in his verbis (quibusdam positis & concessis:) Forma, in his verbis (riteque in modo, & figura dispositis;) Finis, denique in his (necessario infertur conclusio) Hic est. n. finis, vt directe firmiterque concludamus. Perpende etiam, quod in omni Syllogismo sint tres termini Medium, quod est in Maiore & in Minore, sed nunquam in conclusione. Maior extremitas, quæ cum medio Maiorem, Minor extremitas, quæ cum medio Minorem constituit. Ex hisce geminatis tres constituuntur propositiones, Maior, sic appellata, quia est basis rationis, Minor, sic dicta, quia minorem vim continet: Conclusio, sic nominata, quia est nexus & quasi vinculum vtriusque.

Definitio Syllogismi.

Tres termini in Syllogismo

Cur dicitur, Maior. Minor. Conclusio.

In Syllogismo spectatur
- Natura, quæ in definitione antea exponitur.
- Materia quæ est vel
  - Remota
    - 1. Medium, quod est vox in Maiore & Minore, non in conclusione.
    - 2. Maior extremitas, quæ est vox in Maiore præter medium.
    - 3. Minor extremitas, quæ est vox in minore præter medium.
  - Proxima quæ est
    - Maior, Minor: Propositio,
    - Conclusio quæ semper fit ex duobus extremis.
- Forma
  - Remota, vt triplex figura, quæ est varia dispositio medij iuxta hunc versum.
    Sub præ, prima. bis præ, secunda. tertia bis sub.
  - Propinqua, vt modus, qui est varia dispositio propositionum in Syllogismo secundum qualitatem & quantitatem per nomina artis, quæ infra hanc tabulam recensentur.
- Reductio, de qua postea.

1. Barbara

1 *Barbara*, 2 *Celarent*, 3 *Darii*, 4 *Ferio*, 5 *Baralipton*,
6 *Celantes*, 7 *Dabitis*, 8 *Fapesmo*, 9 *Frisesomorum*,
10 *Cesare*, 11 *Camestres*, 12 *Festino*, 13 *Baroco* 14 *Darapti*,
15 *Felapton*, 16 *Disamis*, 17 *Datisi*, 18 *Bocardo*, 19 *Ferison*.

Vt sensum horum nominum intelligas, notandum est, tres esse Syllogismorum figuras, in quarum prima medium subiicitur in Maiore, prædicatur in Minore: quod innuit frons antea citati carminis: Sub præ prima. In secunda Medium bis prædicatur, quod docet secunda pars carminis, bis præ Secunda. In tertia Medium bis subiicitur, quod tertia pars carminis ostendit: Tertia bis sub. Hinc intelligendum est, quotquot sunt nomina, tot quoque modos esse, quibus variatur ratio conficiendi Syllogismos. Sunt ergo in prima figura nouem; in secunda quatuor; in tertia sex. Ex his autem quatuor primi primæ figuræ sunt omnium perfectissimi directissimique ad quos omnes reliqui reducuntur. Si incipiant cum B. ad Barbara; si cum C. ad Celarent: si cum D. ad Darij: si denique cum F. ad Ferio reuocantur: Omnes enim reliqui modi ab vna harum literarum inchoantur. *Versuum expositio.*

Si quæras, quid sit reductio, quare instituitur, quibus fit modis, sequens distinctio edocebit.

In nominibus artis considerantur
- 1. Initiales literæ, B. C. D. F per quas quatuor primi modi primæ figuræ designantur, ad quos reliqui reducuntur.
- 2. Vocales quatuor, A. E. I. O. per quas qualitas & quantitas Maioris, Minoris, & conclusionis denotantur.
- 3. Consonantes quatuor, S. P. M. C. ex quibus tota vis ac ratio reducendi proficiscitur.

Reductio est Syllogismorum imperfectorum seu indirecte concludentium ad quatuor primos perfectos modos reuocatio. *Reductio quid.*

Conclusio directa est, cum in illa Maior extremitas prædicetur de Minore extremitate: indirecta vero ex aduerso. *Conclusio directa quæ.*

In Reductione considerantur.
- Ratio reducendi quæ est nulla in probabilitate rationis defectio, sed magna in persona, intelligendi vel ignorantia, vel pertinacia, vel impudentia.
- Quotuplex sit Reductio: est autem, vel
  - Ostensiua, per conuersionem.
  - Impossibilis sic dicta, non quod fieri non possit, sed quod difficulter intelligi videatur, vel per substitutionem contradicentis, vel per transpositionem propositionis.
- Regula, quæ est quadruplex.
  - Si vocalis sit ante S. propositio designata per vocalem conuerti debet simpliciter.
  - Si vocalis sit ante P. propositio designata per sequentem vocalem, conuerti debet per accidens.
  - Si M. in medio reperiatur, Maior in Minoris locum transponitur.
  - Si reperiatur C contradicens, Maioris, aut Minoris, conclusionis loco substituitur, iuxta illud.

Simpliciter vertî vult S: P. vero per acci:
M vult transponi: C. per impossibile duci.

Non est hic silentio prætermittendum, quod duo solum modi per impossibile reducantur, Baroco & Bocardo: qui vt difficilem, ita specialem reductionis viam ac rationem habent. Quare abs re non est, in illorum reductione, & regulas & exempla proponere. Generalis autem de vtroque traditur, vt fiat reductio per substitutionem contradicentis: specialis vero sit ista: In Baroco maneat Maior, vt est: Contradictoria conclusionis fiat Minor: Postremo, Contradictoria Minoris fiat conclusio. Exempli gratia: formetur hic Syllogismus in Baroco.

Reducitur Baroco.

Ba { *Omnis homo est animal.*
ro- { *Aliqua planta non est animal.*
co. { *Ergo aliqua planta non est homo.*

Nunc obseruetur regula modo assignata, maneatque Maior vt est, videlicet.

Omnis homo est animal.

Tunc sumatur Contradictoria conclusionis, & fiat Minor, quæ est,

Omnis planta est homo.

Postremo sumatur Contradictoria Minoris, & fiat conclusio

Ergo omnis planta est animal.

Reducitur Bocardo.

In Bocardo reducendo, sit ista regula, vt contradictoria conclusionis fiat Maior, maneatque Minor vt est; postremo contradictoria Maioris fiat Conclusio, vt.

Bo	*Quoddam animal non est homo.*	*Omne corpus est homo.*
car.	*Omne animal est corpus. Ergo*	*Omne animal est corpus. Ergo*
do.	*Quoddam corpus non est homo.*	*Omne animal est homo.*

Cur impossibile concludant hi modi

Quæris forsan non iniuria, quare post reductionem hi modi impossibile concludant. Respondeo hoc ideo fieri, vt ignorantia eorum (qui nos laudabiliter in his modis disputantes reducere cogunt) non sine nota turpitudinis omnibus pateat: sic enim fit, vt si proteruus probabile non admiserit: illud quod est omnium absurdissimum, nimirum ei contradicens necessario concesserit: quippe aut hoc aut illud coactus fatebitur.

Leges Syllogismi.

Leges Syllogismi huc referri solent: quarum prima est vt ex singulis, aut particularibus omnino non constet: Secunda, vt ex solis negatiuis non consletur; Tertia, si Maior aut minor sit particularis vel negatiua: particularis quoque sit conclusio & negatiua: Quarta est, vt, Medium nunquam ingrediatur conclusionem.

Versus harum legum. {
Syllogisare non est ex particulari.
Neue negatiuis recte concludere si vis.
Si qua præit partis, sequitur conclusio partis.
Si qua negata præit, conclusio sitque negata.
Lex generalis erit, Medium concludere nescit.

Oppon.

Oppugnatio quæstionis.

Demonstratio & Sorites sunt argumentationes: ergo sunt plura genera quam quatuor argumentationis.

Resp.

Demonstratio ad Syllogismum, Sorites ad Inductionem reducitur.

Oppon.

Definitio Syllogismi Hypothetici Syllogismo non conuenit, ergo male definitur.

Resp.

Solum Categoricus Syllogismus hic definitur.

Oppon.

Oppon.

Quæuis propositio in Syllogismo constat ex duobus terminis: ergo sunt potius sex termini, quia sunt tres propositiones.

Resp.

Geminatio terminorum causa est quod tres tantum sint in Syllogismo.

Oppon.

Sæpe cõclusiones sunt cõtingentes, ergo semper necessario nõ infertur conclusio.

Resp.

Contingentes sæpe sunt ex parte materiæ, necessario tamen inferuntur ex parte consequentiæ.

CAP. XVIII.

Vtrum Enthymema recte definiatur.

Enthymema merito post Syllogismum proxime tractatur: quippe est nihil aliud quam breuis & concisus Syllogismus, maxime sane philosophorum certaminibus accommodatus. Punctis enim vincit; citoque, vt aiunt, palmam in pugnum contrahit, cominusque conclud it omnia. Hinc definitur contracta ratiocinatio, in qua festinans infertur Conclusio: vt, mulier peperit, ergo lac habet. *Enthymema quid.*

Duo Enthymema perficiunt.
- Partes.
  - Antecedens, quod dicitur non solum ab antecedente loco, sed etiam a Maiore vi probabilitatis.
  - Consequens, quod dicitur a consequendo, quia est nexus & illatio antecedentis.
- Reductio quæ fit
  - Inueniendo medium, quod est vox bis reperta in Enthymemate.
  - Addendo Maiorem aut Minorem.

Opponens.

Duæ tantum enumerantur species argumentationis in primo Topicorum, Syllogismus & Inductio, ergo Enthymema non est. *Oppugnatio quæstionis.*

Respondens.

Quod intelligitur non deest, sub Syllogismo Enthymema sub Inductione Exemplum illic continetur.

Oppon.

Perfectum & Imperfectum non faciunt differre specie, vt patet in speciebus qualitatis & in homine sano & ægroto, qui specie non differunt: ergo Enthymema, quod est nihil aliud quam imperfectus Syllogismus, specie non differt a Syllogismo, & per consequens non sunt quatuor genera.

Resp.

Hæc genera argumentationis non vera, sed Analogica dicuntur.

Oppon.

Sæpe Enthymema vel ex meris negatiuis, vel ex meris singularibus constat, ergo reduci non potest.

Resp.

Reduci potest tamen adhibita, vel affirmante, vel vniuersali propositione quæ deest, nam vna, vt fiat Syllogismus, desideratur.

CAP. XIX.

Vtrum Inductio sit species argumentationis.

Inductionis vis.

DVo hæc postrema argumentationis genera, nempe Inductio & exemplum, potius ad Oratores quam ad Philosophos spectare videntur. Leuius enim concludunt, magisque feriunt popularem sensum. Verum enimuero, vt qui hasta eminus pugnat, non minus grauiter sæpe vulnerat, quam qui gladio cominus decertat: Ita qui Inductione & Exemplo vtitur, non minus sæpe aduersarium contundit, quam qui syllogismis & enthymematibus dimicat. Inter species ergo argumentationis definitur inductio, vt sit argumentatio suscepta a rebus singulis satis commode enumeratis ad rem vniuersam concludendam: vt, male perijt Dionysius tyrannus ille: male perijt Phalaris: male crudelissimus Nero: male Caligula: & sic de cæteris: ergo male peribunt omnes tyranni.

Inductio quid.

In inductione considerantur.	Materia, quæ est res singularis numerose collecta.
	Forma, quæ est sufficiens rerum singularum enumeratio connexioque in re vniuersa.
	Ordo propositiones enumerandi.
	Finis, qui est firma persuasio multitudinis.

Oppon.

Res singulæ reiiciuntur ab arte. 6. Ethicorum: ergo non sunt partes inductionis.

Oppugnatio quæstionis.

Resp.

Reiiciuntur quidem vt sunt res singulæ, sed recipiuntur sub ratione vniuersi, & si: sunt partes inductionis.

Oppon.

Lib. 2. cap. 2. Ethicorum.

Res omnes singulæ enumerari non possunt, cum sint infinitæ: ergo a rebus singulis progredi non debet inductio.

Resp.

Sigillatim enumerari non possunt, at confertim, propter similitudinem omniũ in natura, sub vna ratione vniuersalis comprehendi possunt, quod est satis.

CAP. IX.

Vtrum exemplum sit species argumentationis.

Exempli vsus

QVanquam rarius in Dialectica adhibetur exemplum inter disputandum, cum tamen & neruum & cutim, hoc est, & vim & venustatem habeat, a Philosopho tractatur: quo cognito, in rhetorica, in morum philosophia, in alijs artibus ornatius disputare & perorare queas. Est ergo exemplum argumentatio, in qua vnum singulare per aliud probatur propter simile aut dissimile in vtroque: exempli causa, Serpentes multa vulnera in toto corpore tolerant, vt caput tegant: ergo Christiani omnia tormenta pati debent, vt Christum suum caput defendant.

Exemplum quid.

Per simile in exemplo omnem comparationem intelligimus, siue in	Pari ratione vtriusque, vt cygnus canit ante mortem: ergo sapiens non timeret.
	Dispari proportione, vt stulti in diem viuunt: ergo sapientes æternitati studerent.

Opponens.

Oppugnatio quæstionis.

Exempla & similia docent pulchre sed non recte probant, vt ait Philosophus 8 & 2. Topicorum: ergo exemplum non est argumentatio.

Resp

Resp.

Illud dicitur, non quod non omnino probent, sed quod alia genera argumentationis melius & rectius probent.

CAP. XXI.

An Sorites sit argumentatio.

Sorites rerum cognatarum catena ad vnam conclusionem tracta dicitur: nexibus enim & quasi vinculis res per eam probatæ cohærent & colligantur. Hinc definitur argumentatio, in qua præcedentis vocis fit repetitio illatioque rerum affinium quasi per gradationem, donec ad summum peruenias, in quo consistit conclusio. **Sorites quid.**

In Sorite spectantur:
- Cognatio rerum, quæ materia dicitur.
- Apta Connexio propositionum, quæ forma.
- Gradatio significationum, donec ad summum venias.
- Directa vltimæ propositionis ad primam reductio, vt in hoc exemplo.

Consuetudo sæpe amorem, amor animorum studiorumque consensionem; animorum studiorumque consensio fideles amicos parit: ergo consuetudo sæpe amicos facit.

Opponens.

Sorites sub prima regula ante prædicatamentali continetur: ergo hic vt argumentatio, non definiretur. **Firmamenta quæstionis.**

Resp.

Sub regula illa continetur in ordine, hic vero in cognatione rerum: illic quoad prædicationem: hic vero quoad argumentationem.

PERORATIO PRIMAE PARTIS Dialectices.

Habes, bone lector, pauca: Christum oro, vt prosint: si bene consulas, expectes plura. Obscurus non fui, ne te deterrerem: perspicuus fui, vt allicerem. Tenera non placet irretire ingenia: dilucide enim decet prima apperire principia. Si hastam vibrare, si hostem figere, si intonare cupias, posthac parabo fulmina. Interea hæc elementa disce, quibus armatus, pugnabis acrius, & procul dubio longe melius expugnabis.

Finis primi Tractatus.



QVÆSTIONES EX PORPHYRII INSTITVTIONIBVS BREVITER COLLECTÆ.

Præfatio.

In aditu ſcientiæ cuiuſque quinque conſideranda. Auctor. Inſtitutum. Operis huius cauſa efficiens. Materia. Vſus.

IN aditu cuiuſque ſcientiæ quinque præcipue conſiderari ſolent, Nomen Auctoris quem ſequimur: Inſtitutum ſeu conſilium: Cauſa efficiens operis: Materia, & vſus. Auctor, quē præ aliis in hac parte Dialectices nobis proponimus, eſt Porphyrius, genere Græcus, Patria Phœnix, Athenis educatus Philoſophus, vere ſuum nomen habens a purpura, ſi humanam philoſophiam, at rectius Porphyrius ille venenatus ſerpens vocandus ſi fidem ſpectes: illius enim lumen, huius peſtis extitit. Inſtitutum telas Ariſtotelis retexere: tenebras rerum quæ ab illo diſcutiuntur, diſpellere, viamq; apertam & introductionem ad totam philoſophiam ſcribere. Cauſa efficiens operis fuit nobilis quidā adoleſcens nomine Chryſaorius, qui miro flagrans deſiderio perdiſcendi Ariſtotelis, rogatum Porphyrium habuit, vt in hac re dexteram ſuam opemq; porrigeret. vtinam adoleſcentes noſtræ ætatis tanta bonarum literarum ſiti exardeſcerent. Materia, eſt vox vniuerſalis rebus accomodata, de qua modo pluribus diſputabitur. Vſus eſt in definitione, diuiſione, demonſtratione rerum, nec non in cognitione Categoriarum poſitus: quæ ſane quatuor ſine hac introductione commode ſciri & explicari non poſſunt.

CAP. I.

Vtrum vniuerſale ſit ſubiectum huius Tractatus: quid ſit, & quotuplex.

Vniuerſale eſt huius tractatus ſubiectum. Rationes cur ſit ſubiectum. Vniuerſale quid.

SI ſubiectum illud ſit, quod latiſſime diffunditur, quodque eſt maxime notum, certiſque cancellis artis definitum: non video quo minus vniuerſale, ſubiectum huius partis conſtituam. Eſt enim 1. communiſſimum: eſt 2 maxime notum; 3 limites præſcriptos non excedit; 4 omnia in hoc tractatu eodem nomine & natura inſigniuntur; propria paſſio (nempe vox prædicabilis) de illo rectiſſime demonſtratur; vt, Omne quod natum eſt eſſe in multis, eſt prædicabile: ſed omne vniuerſale eſt natum eſſe in multis, ergo omne vniuerſale eſt prædicabile. Hoc poſito loco fundamenti, definitur vniuerſale, vox ſenſu, non ſono: ſimplex, non complexa; finita, non infinita; ſecundæ intentionis, non primæ: vi intellectus rebus accommodata, quæ poteſt de pluribus vniuoce prædicari. Hęc definitio datur (quod animaduertendum eſt) reſpectu prædicationis per ſolam vocem, non reſpectu conſtitutionis, quæ ſolum in rebus ſubiectis conquieſcit. Definitur enim hic genus, non animal: ſpecies, non homo; vox rei applicata, non res ſubſtrata. Hæc vox ſic accepta & definita diuiditur in genus, ſpeciem, differentiam, proprium, & accidens, quæ vulgo ſpecies vniuerſalis dicuntur. Huius diuiſionis ratio in ſequenti diſtinctione aperietur.

Vniuerſale quotuplex.

Subiectum eſt vel:
- Inhæſionis, quod ſubeſt accidenti, vt ignis calori.
- Prædicationis, quod ſubeſt rei in eodem ordine, vt homo ſubiicitur animali, iuſtitia virtuti.
- Aggregationis, quod non eſt ſimplex & vnum, ſed multiplex & numeroſum, vt totus mundus reſpectu temporis.

At ri-

Attributionis, quod est obiectum seu materia circa quam versatur scientia: vt multitudo in Arithmetica, magnitudo in Geometria, vniuersale in hoc tractatu.

DISTINCTIO SECVNDÆ QVÆSTIONIS.

In definitione vniuersalis considerantur tria
- Prædicatio, & sic per vocem definitur, vt genus.
- Constitutio & sic per rem explicatur, vt animal.
- Comparatio vtriusque, & sic per conceptum, partim rei, partim intellectus describitur.

DISTINCTIO TERTIÆ QVÆSTIONIS DE numero vniuersalium.

Omne vniuersale considератur vel
- Ex parte vocis, & sic prædicatur aut in
  - Quid
    - Confuse, vt genus.
    - Complete, vt species.
  - Quale
    - Distincte & essentialiter, vt differentia.
    - Conuersim & necessario, vt proprium.
    - Contingenter & fortuito, vt accidens.
- Ex parte rei, vt sit
  - Pars definitionis, quæ est vel
    - Materia, vt animal.
    - Forma, vt rationale.
    - Ipsum definitum seu compositum, vt homo.
  - Non pars quod est vel
    - Reciprocum, vt risibile.
    - Remotum & contingens, vt album, vel iustum in homine.

Prædicatio vniuersalis est vel
- Signata per vocem, quæ signum rerum dicitur, vt animal est genus, Homo est species
- Exercita in rebus, vt animal est corpus, homo est animal.

ARGVMENTA CONTRA PRIMAM Quæstionem.

Opponens.

Vniuersale in aliis scientiis tractatur, vt in Physica & Metaphysica contemplatione rerum, ergo non est subiectum huius partis. Oppugnatio prima.

Resp.

Non vniuersale, sed res quæ sunt sub nomine vniuersalis in aliis scientiis tractantur vt in Physica contemplatione materia, forma, elementa: in Metaphysica, Spiritus, Deus, & res separatæ, rerumque omnium in genere entis idea.

Oppon.

Tractatur in aliis partibus Dialectices, vt in prædicamentis quæ sunt vniuersalia, & in prædicatis Topicis.

Resp.

Tractatur vniuersale quoad
- *Prædicationem, & sic in hac parte.*
- *Ordinem subiiciendi & prædicandi & sic in prædicamentis.*
- *Argumentationem, & sic in topicis.*

ARGVMENTA CONTRA SECVNdam quæstionem.

Opponens.

Vniuersale Dialecticum est conceptus rei & vocis, ergo male hic definitur per solam vocem. Oppugnatio secunda.

Resp.

Hic prædicatio quæ est vocis: non constitutio, quæ est rei, definitur.

Oppon.

Vniuersale inter rem & vocem positum mentem a re ad vocem confuse distrahit ergo (vt debet) vniuoce & certo non definitur.

Resp.

Vox aperte rei accommodata mentem non distrahit, sed potius vt signum ad signatum dirigit.

CONTRA TERTIAM QVAESTIONEM.

Oppugnatio tertia.

Oppon.

Sunt decem prædicamenta & quatuor prædicata Topica: sed & prædicamenta & prædicata sunt vniuersalia: ergo non sunt tantum quinque vniuersalia.

Resp.

Decem prædicamenta sub genere continentur: prædicatis Topicis in hoc tractatu species attexitur, illic vero ad loca generis reducitur: est enim genus inuentionis, vt ait Rodolphus. eodem enim modo respicit indiuidua species, quo suas formas genus.

Opponens.

Si sint quinque vniuersalia, eorum esset quinarius numerus; sed eorum non est quinarius numerus; ergo non sunt quinque. Maior constat; probatur Minor, quia quinarius numerus est quantitas, quæ solum inhæret substantiæ vt subiecto, sed omnia vniuersalia non sunt substantia: ergo eorum non est quinarius numerus.

Resp.

Vide de numero tractatum in quantitate.

Numerus ille formalis qui definitur in quantitate illis non inest, sed intellectualis & Mathematicus, qui vi mentis finitus & certus efficitur, rebusque & vocibus accommodatur.

CAP. II.

An vniuersalia sint res, voces, vel conceptus: &, An eorum cognitio conducat ad quatuor.

Philosophorum pugna de vniuersalis definitione

Nominales. Reales. Neutri. Quæstionis primæ status. Ratio quadruplex qua probatur vniuersale rem esse.

QVI sphæram totius Philosophiæ voluunt ac intuentur, tot præclara ingenia in definiendo vniuersali huc atque illuc impelli videant, vt raro duos in circulo expositionis suæ idem centrum tetigisse sentiant. Hoc dico, non vt eorum auctoritati quicquam detraham, quod est arrogantiæ: sed si minus acute in re tanta disputem, faciliores meos Lectores inueniam. Prodeunt huc multi (qui apud seculum prius floruerunt) Interpretes, quorum alij Nominales dicuntur, qui in vocibus; alij Reales, qui in rebus; alij Neutri, qui in conceptibus vniuersale posuerunt. istorum gregem in scenam cogere, esset, meo iudicio, tragœdias inanes excitare, nec non ex inferis Cerberum extrahere. De re proposita ergo sic sentio, & sic animum induco meum: vniuersale non esse meram vocem, aut intentionem, sed aliquid rei in se continere: 1. quippe coniungitur cum rebus singulis, sine ope intellectus: 2. naturam cohærentem habet: 3 de eo est scientia: 4 ex eo nascitur demonstratio: sed nec coniungi cum rebus, nec constare sine mente, nec sciri, nec demonstrari potest, si sit sola intentio *ergo aliquid rei est, & non mera intentio.* Præterea, si cohortem aut legionem hominum ante oculos ponamus, non vnam rem singularem esse aperte constat. Rem tamen esse quis negat? Ergo erit res indefinite sumpta, quæ nihil aliud est, quam res vniuersa, vt, vnus homo in specie ex multis hominibus numero collectus, qui cum suis

suis indiuiduis cohærens, ens rei proprie appellatur. Vniuersalis sic accepti cognitio valet quidem ad definitionem, quæ ex genere & differentia constat: ad diuisionem, quæ genus in suas species secat: ad demonstrationem, quæ definitionem, aut proprium suum medium habet: ad prædicamentum, quod generum ac specierum ordinem seriemque continet.

Status secundæ quæstionis.

Vniuersale quadruplex.

Vniuersalia dicuntur vel
- Metaphysica, quæ sunt in sola mente, vt, Deus, rerumque diuinarum Ideæ.
- Mathematica, quæ vi mentis a rebus eiiciuntur, & separantur, ita tamen, vt rebus possint accommodari, vt figuræ Geometricæ.
- Physica, quæ sunt res ipsæ, rerumque principia: vt, materia, forma, elementa.
- Dialectica, quæ sunt, conceptus
  - Partim rerum, quoad constitutionem.
  - Partim vocum, quoad significationem.

Est enim vniuersale Dialecticum in
- Re, vt in subiecto: sic ens Reale, vt Homo.
- Voce, vt in signo, sic ens rationis, vt species dicitur.

DISTINCTIO SECVNDÆ QVÆSTIONIS.

Cognitio prædicabilium conducit ad quatuor.

Cognitio prædicabiliũ est vtilis ad
- Definitionem, quæ est vel propria, constans ex genere, & differentia: vel impropria, constans ex genere & propio: sed hæc sunt vniuersalia: ergo eorum cognitio est vtilis ad definitionem.
- Diuisionem, quæ est, aut generis in species, aut subiecti in accidentia, aut accidentium in subiecta: sed hæc sunt quoque vniuersalia, ergo.
- Demonstrationem, quæ est vel propria, constans ex definitione suo medio termino: vel impropria constans ex proprio suo medio termino, sed hæc etiam sunt prędicabilia: ergo.
- Prædicamentum, quod nihil aliud est quam ordo generum, specierum, & differentiarum: sed hæc sunt vniuersalia, ergo.

Conducunt omnia vniuersalia ad horum singula, vel vt
- Recipiantur tanquam bona & necessaria:
- Rejiciantur tanquam mala, quæ cognita facilius euitantur.

Opponens.

Oppugnatio prima.

Est vocum dici, est rerum esse, sed vniuersalia Dialectica dicuntur: ergo sunt voces & non res.

Resp.

Dicuntur per vocem, sunt vero per essentiam rerum.

Oppon.

Intellectus vniuersale facit, vt ait Philosophus 3. de Anima, sed intellectus non est causa rerum: ergo vniuersalia non sunt res.

Resp.

Vniuersale duplex.
- *Intentionale, quod facit intellectus.*
- *Reale, quod non facit.*

Opponens.

Aristoteles affirmat vniuersale, aut nihil esse, aut posterius esse, sed voces sunt rebus posteriores: ergo vniuersalia sunt voces, non res ipsæ. 1. De anima.

Resp.

Contra Platonis Ideas illic disputat, quæ si sint ex præexistentibus rebus nata, aut posteriores sunt, aut nihil sunt.

Opponens.

Vniuersalia nihil aliud sunt quam collectiones & abstractiones rerum singularium; sed collectiones & abstractiones rerum singularium non sunt res: ergo nec vniuersalia.

Resp.

Collectio consideratur bifariam, vel quoad { *Materiam subiectam & sic est realis,* / *Formam formantem, quæ est intellectus, & sic est intentio.* }

ARGVMENTA SECVNDÆ QVÆSTIONIS.

Oppon.

Oppugnatio secunda.

Incerta rerum & vocum cognitio certiorem rerum cognitionem non potest reddere; sed vniuersalium cognitio est rerum & vocum, ergo definitionem, demonstrationem prædicamentum, quæ sunt rerum tantum, certiora non possunt reddere.

Resp.

Voces multiplices & æquiuocæ confusionem pariunt; voces tamen aptissime accommodatæ (quales hæ sunt) certiorem cognitionem faciunt.

Oppon.

Vera definiūtur primo Topicorum quæ aliunde fidem non petunt; sed definitio & demonstratio ex veris constant, teste Aristotele primo Analyticorum; ergo illis cognitio prædicabilium fidem lucemque non addit.

Resp.

Constant illa duo ex veris quoad materiam, dubia tamen sunt quoad personam. Sæpe enim ignarus rerum propositiones demonstrationis negat, sæpe etiam & sapiens; ille vt melius intelligat, hic vt aliorum ingenia probet.

Oppon.

Principiorum non est quærenda ratio. 1 lib. Topicorum: iterum, principia probari non possunt 1 Physicorum: sed prædicamenta sunt principia; ergo eorum ratio per vniuersalia non illustratur.

Resp.

Principiorum non est ratio nec probatio quærenda a priore per causas: at quærenda est a posteriore per effectus.

Opponens.

Porphyrius ait, necessariam esse istam cognitionem vniuersalium ad hæc quatuor: at hæc esse possunt & fuerunt sine ista cognitione ante Porphyrium: ergo non est necessaria.

Resp.

Necessarij distinctio.

Distinguunt multi necessarium, aut pro eo sine quo aliquid esse non potest: aut pro vtili: hoc, non illo modo hic acceptum iri volunt. attamen vtrumque vere constare potest: si enim vniuersalia pro intentionibus sumantur, sic eorum cognitio est tantum vtilis: quippe res sine illis possunt subsistere. Si vero pro rebus substratis, sic sane est necessaria, eademque est habita ante Porphyrium, at confusa & indistincta: nunc autem in ordinem per illum accurate digesta, non enim rerum inuentor, sed ordinis auctor extitit.

CAP. III.

An dubitationes a Porphyrio in Præfatione motæ, recte ab interpretibus resoluantur.

Utrum { 1. *Vniuersalia per se ac vt sua subsistant an in solo animo.*
2. *Sint corpora vel corporis expertia.*
3. *Sint a rebus singulis auulsa.*

Cur Porphyrius mouet, nec tamen dissoluit 3. quaestiones.

SI mirum cuiuis sit cur a Porphyrio admodum abstrusæ & difficiles quæstiones in fronte opusculi moueantur, motæ vero non omnino discutiantur: sciat tum olim fuisse (vt nunc sunt) multos obstrepentes garrulos, qui parum scientes, obijcere solebant, inanem & otiosam esse artem Dialecticam, de nudis vocibus non de rebus institutam: quorum procacitate coactus, mouet quidem difficillima, resoluit nulla: mouet ad tollendam vanitatem obijciendi, non soluit ad tollendam difficultatem intelligendi. Mouendo enim, garrulis imponit silentium: non soluendo, animos tyronum magis incitat ad studium: quippe si res tantas in ipso limine discussisset, quasi Medusæ obiecto capite, a tam præclaro studio tyrones deterruisset. Cæterum, cum omnes homines omnia scire a natura desiderent: cumque nihil moueatur (licet occultissimum) cuius intelligendi siti mens humana statim non ardeat: vt proponuntur hæc a nobis, ita si paucis discutiantur, non erit a ratione dissentaneum. Quæritur primum, an vniuersa in solo animo seu intellectu subsistant. Certe vniuersalia non sunt figmenta intellectus: non sunt somnia phantasiæ: non sunt tantum quasi suspensæ hederæ & signa rerum: non sunt meræ nudæque voces: non sunt Ideæ separatæ: sed sunt (vt ante demonstratum est) res ipsæ indefinitè acceptæ, naturæque cohærentes cum rebus singulis, quibus confertim collectimque positis manent: simul vero extinctis labefactata eodem motu concidunt: non ergo pendent ab intellectu solo, sed sunt & subsistunt in rebus singulis, etsi intellectus hominis tolleretur. Ad secundam dubitationem, nimirum, an sint corpora, vel corporis expertia: respondeo partim esse, partim non esse. Esse quidem, vt omnia in quantitate sub trina dimensione, & in substantia sub corpore: non esse, vt reliqua accidentia, omnesque substantias sub spiritu comprehensas. Est enim corpus in substantia vt materia: est in quantitate, vt mensura: omnia quæ hisce subijciuntur sunt corpora: reliqua vero omnia sunt incorporea. Ad tertiam quæstionem, quæ est, an vniuersa sint auulsa a rebus singulis: dicendum est, non auelli, non separari ex parte rei: quippe res singulæ essentiam a rebus vniuersis: res vniuersæ existentiam a rebus singulis sortiuntur. Vt ergo verum est illud, genus non esse, si non sit species aliqua, in qua natura eius conseruetur: ita verum est hoc, non esse vniuersum, si nulla sit res singularis, cum qua cohæreat. Nam etsi conuulso Socrate non euanescit homo, omni tamen indiuiduo hominis sublato, homini nihil loci relinquitur, auelli ergo non possunt vniuersa a rebus singulis, natura non possunt seiungi & separari.

Distinctio vera.

Status primæ quæstionis.

Status secundæ.

Status tertia.

Arist. in substantia.

DISTINCTIO PRIMÆ Quæstionis.

Distinctio prima

Vniuersalia sunt, vel { Secundæ intentionis, vt genus, species, & hæc sunt entia rationis in solo intellectu.
Primæ intentionis, vt animal, homo, equus; & hæc sunt entia rei, quæ extra intellectum naturam in rebus singulis cohærentem habent.

DISTINCTIO SECVNDÆ Quæstionis.

Distinctio secunda

Corporeũ est, vel
- In substãtia, vt
  - Materia, sub qua partes corporis continentur.
  - Totum compositum, cui ipsa corpora subjiciuntur, vt planta, animal.
- In quantitate, vt
  - Mensura sub qua linea, & superficies, & locus cõtinentur, quæ quodammodo sunt corporea.
  - Totum integrale, cui omnes figuræ subjiciuntur, vt, Triangulum, Quadrangulum, &c.

Incorporeum est, vel
- Simpliciter, vt spiritus.
- Comparate, vt omnia accidentia præter nominatas quantitates.

DISTINCTIO TERTIÆ QVÆSTIONIS.

Distinctio tertia.

Vniuersale est, vel
- Ante rem, vt Deus, aut idea in mente diuina.
- Post rem, vt genus, quod nomen seu intentio post rem constitutam, ab arte inuenitur.
- In re, vt Homo, qui a rebus singulis separari non potest, & hoc vniuersale hic proprie intelligitur.

ARGVMENTA CONTRA PRIMAM Quæstionem.

Oppon.

Oppugnatio prima.

Sunt multa vniuersalia omnis materiæ expertia, vt virtutes, potentiæ, artes, spiritus: hæc autem sunt in solo animo: ergo sunt vniuersalia quæ sunt in solo animo.

Resp.

Hæc non sunt in solo animo, vt entia rationis, vi solius intellectus fabricata: sed sunt in rebus singulis, vt in subiectis propriis cõseruata: sic anima species, in anima Socratis, in anima Platonis quæ sunt eius indiuidua, continetur.

Oppon.

Artes & virtutes sunt in solo animo: sunt enim habitus animi 2. Ethicorum: ergo sunt aliqua vniuersalia in solo animo.

Resp.

Fateor inesse in solo animo, vt entia rei in re subiecta: non tamen insunt in solo animo, vt entia rationis in sua causa: & sic hæc quæstio vere intelligitur, vtrum vniuersalia sint in solo intellectu, vt in causa: nulla insũt vt in causa, aliqua insunt vt in subiecto. Cum nulla dico, excipio vniuersalia intentionaliter sumpta, quæ sunt ab intellectu fabricata.

ARGVMENTA CONTRA SECVNDAM Quæstionem.

Opponens.

Oppugnatio secundæ.

Omne corporeum loco & tempore circumscribitur 3. Physicorum, teste Philosopho: sed nullum vniuersale ita circumscribitur: ergo nullum vniuersale est corporeum.

Resp.

Nec locus nec tempus in res vniuersales cadit per se, sed ratione rerum singularum ad quas vniuersa contrahuntur. Vt enim stella dicitur lucida, cuius tamen lumen proprie est in Sole: ita res vniuersalis dicitur corporea, cuius tamen corpus manet cõplete in re singulari: vel respondetur, quod vniuersale non sit corporeum, quia loco & tempore est circumscriptum, sed quod ex materia & forma est compositum.

Oppon.

Nihil quod fit per intellectum, est corporeum, sed omne vniuersale fit per intellectum, nempe ex collectione singulorum: ergo nullum vniuersale est corporeum.

Resp.

Notio vniuersalis, vt genus fit pe intellectum: res tamen, vt animal, non fit.

ARGV.

ARGMENTA IN TERTIAM QVÆSTIONEM.

Opponens.

Vniuersale & singulare sunt opposita, teste Aristotele, primo Demonstrationis: ergo non sunt coniuncta: ergo alterum ab altero auelli potest.

Resp.

Sunt opposita voce, non re ipsa: nam homo & Plato non sunt res diuersæ.

Oppon.

Sublatis compotibus & expertibus rationis locus relinquitur animali, vt ait Porphyrius in communitatibus prædicabilium: ergo a pari sublatis singulis vniuersalia auulsa per se manere possunt.

Resp.

Manere potest animal, sublatis istis, quoad intentionalem prædicationem, de qua agit Porphyrius; non tamen quoad realem constitutionem. Alij respondent, hic errasse Porphyrium, quos non probo.

Oppugnatio tertia.

CAP. IIII.

Verum ordo & significatio generis recte statuatur?

NE in vniuersalium contemplatione diutius moremur, quam vsus artis postulat, qui potius in libris Inuentionis, quam in his primis Elementis cernitur, expertos agricolas imitabimur. Vt enim illi inutiles ramos amputando, plantam iocundiorem: ita nos otiosas quæstiones resecando, pleniorem fructum pollicemur. Neruos ergo recentium molliumque ingeniorum spinosioribus Sophistarum & Scotistarum argutijs non contundam. Excessum enim non quæro: requiro modum: idque vel maxime in hac parte Dialectices, in qua a modo deflexisse nonnullos video; & ita deflexisse, vt in genere ac specie non horas sed annos, adeoque totam ætatem consumpsisse videantur. Quot enim plaustra librorum olim conscripta fuerunt de quinque vniuersalibus? Quot Scotistæ, Quot Thomistæ, Quot Nominales, Quot Reales, Quot Neutri, Quot Nulli (Nulli sane recte dicuntur) de istis vocibus definiendis concertarunt? Sed quid ago? viros doctos non accuso: tædium autem eorum pro virili fugio. Quare his omissis ad rem veniamus. Hanc ergo methodum in singulis vniuersalibus tractandis nobis proponimus: vt primum de ordine, deinceps de significatione, hinc de definitione, postremo de diuisione distinctioneque pauca explicemus. Ordo generis est quidem naturæ, quo præcedit speciem: est enim speciei causa: at omnis causa præcedit effectum, genus ergo præcedit speciem. Significatio non omnis, sed sola affinis & cognata generis hic a Porphyrio recensetur, vtpote, quæ vel confundit, si ignoretur, vel plurimum rem propositam illustrat, si referetur. Est ergo significatio generis parentis, patriæ, qualitatis. Hinc principium producendi a patre, principium conseruandi a patria, principium tribuendi formam a qualitate desinitur. Dat enim vt pater, sic patria ortus cuique initium: vt si quæras ab Heraclide vnde ducat genus, respondebit ab Hercule suo patre: Si quæras a Platone, vnde suum petat, ab Athenis sua patria respondebit: Sic denique si quæras, cuius generis sit hæc vestis, respondetur, toga. Confer, si placet hæc cum genere Dialectico, & inuenies, vt pater producit filios, vt patria conseruat, vt forma adornat: ita genus producere species, productas conseruare, conseruatas per differentias suas perficere, distinguere, & consummare.

Auctor artis vsum tantummodo spectat.

Dunsi vniuersalia plaustris vexerũt vt poemata Thespis.

Quatuor spectanda in vniuersalium tractatione.

Ordo generis

Significatio generis.

Ordo naturæ & disciplinæ

Ordo rerum est duplex.
- Naturæ, qui procedit a simplicioribus ad composita, ab vniuersalibus ad singula, a confusis ad distincta, a causis ad effecta, & hic est generis.
- Disciplinæ, qui procedit a compositis ad simplicia, a singulis ad vniuersalia; a distinctis ad confusa, ab effectis ad principia; & hic est speciei respectu differentiæ.

Generis significatio est absoluta & Comparata

Significatio generis est
- Absoluta, quæ est Dialectica, de qua statim agetur.
- Comparata quæ est
  - Parentis,
  - Patriæ,
  - Qualitatis,

  vt supra.

Oppon

Oppugnatio quæstionis.

Vniuersaliora & confusiora sunt nobis notiora, vt ait Philosophus primo Physicorum, sed genus est vniuersalius & confusius: ergo est nobis notius, ordineque disciplinæ prius.

Resp.

Ordo habet duplicem respectum, vel
- *Intellectus confusi, & sic vniuersale est nobis notius, 1. Physicorum.*
- *Intellectus distincti, & sic vniuersale est prius (naturæ ordine) re singulari: & sic Genus est prius sua specie.*

Opponens.

Pater, patria & qualitas sunt res singulares, ergo non sunt cognata significata generis Dialectici, quod est res vniuersalis.

Resp.

Similitudo non est in prædicatione, quæ est propria passio vniuersalis, sed in ratione principii, quæ rebus singulis proprie conuenit.

Oppon.

Pater est relatum: ergo non est causa filii, teste Arist. in Relatione.

Resp.

Pater hic pro substantia, non pro relatione sumitur.

Oppon.

Locus non conseruat, vt est 3. Physicorum ergo male dicitur principiū conseruādi

Resp.

Locus simplex non conseruat formatus tamen qualitatibus conseruat.

CAP. V.

Vtrum recte definiatur & diuidatur genus: &, An conseruetur in vna specie.

Generis definitio duplex.

GEnus definitur vel comparate, vt est Intentio, & sic genus est speciei genus, & species est generis species: vel absolute, vt est vniuersale, quod de multis differentibus specie in quæstione naturæ dicitur. Differentia specie sunt, vel species diuersæ, vt homo, bellua, sub eodem genere: vel indiuidua distincta sub diuersis speciebus, vt Plato sub homine, & Bucephalus sub equo. De illis proxime, de his remote genus quidem dicitur: exempli causa: primum animal de homine & bellua; tum his interiectis, de Socrate & Bucephalo affirmatur. (In quid dici) est respondere ad quæstionem factam, per quid, vt quærenti quid sit homo, respondetur animal: Quid iustitia, respondetur virtus. Diuiditur genus in genus summum & medium, quod vulgo subalternum nominatur.

Generis diuisio.

Summum est, quo non est antiquius aut superius genus in eodem ordine, vt substantia: medium est, quod cum superiore collatum, species; cum inferiore

inferiore comparatum, genus dicitur: vt animal, quod respectu corporis est species, quia subiicitur; respectu hominis est genus, quia prædicatur. Hoc secundum essentiam suam, quam acceptam fert superioribus, in vnica specie conseruatur. Secundum vero potentiam, quam diffusam habet in inferioribus, hoc modo conseruari non potest; exempli causa, animal, vt est corpus animatum sensus compos, esse potest in solo homine, at animal, vt diuiditur per rationis compos & expers rationis, in solo homine esse non potest. Vbi ergo dicitur genus vniuersale, distinguitur ab indiuiduo: vbi dicitur de multis speciebus, distinguitur a formis: vbi dicitur in quid, distinguitur a differentia, proprio, & accidente, quæ non in quid sed in quale dicuntur.

Quodnã genus in vnica specie seruatur.

Genus est vel
- Intentionale in hoc nomine generis.
- Reale, in re substrata huic nomini.
- Medium in conceptu vtriusque, idque est
  - Vel confusum seu contrahibile, quod in hac definitione est definitum
  - Vel contractum, quod cum vna specie per contrahentem differentiam conuertitur

Quotuplex genus.

Differentia sunt
- Genere, quæ sunt sub diuersis generibus, vt homo sub animali, & angelus sub spiritu.
- Specie, quæ sunt vel
  - Materialiter, vt indiuidua diuersarum specierum.
  - Formaliter ipsæ diuersæ species.
- Numero, quę sunt indiuidua eiusdem speciei inter numerãdum distincta.

Res differunt genere, specie, numero.

Eadem sunt quoque
- Genere, quæ continentur sub eodem genere, vt homo & bellua.
- Specie, quæ subiiciuntur eidem speciei, vt Plato & Socrates.
- Numero quadrifariam
  - Nomine, vt ensis, gladius.
  - Definitione, vt homo & animal rationale.
  - Proprio vt homo & risibile.
  - Accidente, vt mel & dulce.

Eadem sunt genere, specie, numero.

In quid prædicatur aliquid vel
- Confuse, sic genus quod imitatur materiam, in qua est confusio.
- Distincte, sic differentia quæ imitatur formam, in qua est distinctio.
- Complete, sic species, quæ imitatur totum compositum.
- Absolute, sic definitio, quæ absoluit definitum.

In quid res prædicatur quatuor modis.

DISTINCTIO SECNDÆ QVÆSTIONIS,

Angenus conseruetur in vna specie.

Generis natura est vel
- Intentionalis in prædicatione de pluribus specie differentibus, & sic non conseruatur.
- Realis vel
  - Actu subiecta superioribus, & sic conseruatur.
  - Potentia applicata inferioribus, & sic conseruari non potest.

Generis natura duplex.

CONTRA PRIMAM QVÆSTIONEM.

Opponens.

Hoc nomen generis est definitum, sed hoc nomen de pluribus differentibus specie non dicitur, ergo male definitur.

Oppugnatio prima.

Resp.

Nomen generis pro re substrata acceptum definitur.

Oppon.

Conceptus nec res est nec intentio: sed conceptus, vt antea patet, definitur: ergo nec res nec intentio: & proinde pro re acceptum hoc nomen generis non definitur.

Resp.

Conceptus est { Formalis, respectu vocis & intellectus qui non definitur. Materialis, respectu rei significatae per vocem, & sic primario res definitur.

Oppon.

Otiosum est secundam intentionem loco definiti ponere, & tamen rem definitioni subiicere: ergo male definitur.

Resp.

Non est otiosum signum pro signato ponere: at intentio est signum, res vero subiecta signatum dicitur.

Opponens.

Quod est in multis praedicamentis eadem ratione est multiplex, teste Philosopho 1. Topicorum sed genus est in omnibus praedicamentis eadem ratione, nempe vt praedicatur de formis sibi subiectis: ergo est multiplex, & proinde non bene definitur.

Resp.

Etsi sit in omni praedicamento secundum intentionalem naturam eadem ratione, non tamen secundum realem, quam distinctam habet in singulis: sic substantia vnam, quantitas aliam distinctam naturam habet.

CONTRA SECVNDAM QVÆSTIONEM.

Opponens.

Arist. lib. 2. de anim. c. 2.

Potentia prima, vt vis vegetandi, vis ratiocinandi non differunt natura a suis principiis, vt ab anima vegetatrice, ab anima ratiocinatrice: sed potentia, qua genus in suas species diuiditur est prima, quia priorem non habet: ergo haec potentia est eadem cum natura generis: & proinde si generis natura conseruetur in vna specie, potentia quoque conseruabitur.

Resp.

Vera est Maior in rebus naturalibus: vel dicendum est, potentiam definitionis, non diuisionis ad speciem contrahi.

Oppon.

Frustra mouetur quaestio de impossibili: sed impossibile est, vnam speciem tollere, vt genus in altera conseruetur: ergo frustra mouetur haec quaestio. Maior est Aristotelis 1. demonstrationis: de impossibili non est scientia. Minor est Aristotelis. 6. Ethicorum, vbi docet vniuersa corrumpi non posse, quia sunt aeterna.

Resp.

Cum dicitur genus conseruari in vna specie, non supponitur tolli alteram: sed docetur non esse necessarium alteram subesse, si in vna insit.

CAP. XVI.

An species recte tractetur.

Ordo.


NAturae ordine differentia speciem praecederet, est enim speciei causa: Ordine vero disciplinae species praecedit differentiam: vel quia mentio facta est speciei in definitione generis hoc modo, (genus est cui subiiciuntur species:) vel quia genus & species pro intentionibus accepta, sunt relata; quae mutuo semper definiuntur, vt genus est speciei genus, & species est generis species.

Significatio.

Significatio speciei eadem est in comparatione ad indiuidua, quae est generis in comparatione ad species; vna tamen sola a Porphyrio adhibetur, vt sit cuiusque rei pulchritudo, Hinc Narcissum speciosum, gemmam

mam speciosam dicimus: sic vt foris adueniens pulchritudo, rem perpolire: ita forma Dialectica rem singularem sub se perficere & complere dicitur.

Definitio speciei est vel comparata, vt species sit id quod proximo & vicino generi subiicitur: vel absoluta, vt sit prædicabile quod de multis differentibus numero, id est, de multis indiuiduis, seu rebus singularibus sub se contentis, in quid complete prædicatur. Sic homo de Socrate & Platone, effertur. Hanc speciem infimam appellat Porphirius, quia eam nulla alia species sequitur. Est n. species infima, qua nulla species est inferior, vt homo; Est genus summum, quo nullum genus est superius, vt substantia: Est species subalterna, quæ respectu inferioris genus, respectu superioris species appellatur, vt, Animal, corpus, animatum corpus, quæ omnia vno intuitu videre licet in ordine & linea prædicamentali, quam vulgo arborem Porphyrianam nominamus. *Definitio.*



- In tractatu speciei obseruanda sunt
  - Ordo, quo succedit generi: succedit autē propter
    1. Mentionem speciei bis factam ante in definiendo genere.
    2. Relationem vtriusque: vt sunt voces secundæ intentionis.
    3. Prædicationem similem vtriusque, nam vtrumque in quid prædicatur de suis subiectis.
  - Significatio quæ est
    - Analogica, vt sit cuiusque rei pulchritudo.
    - Dialectica, vt sit interna & completa suorum indiuiduorum perfectio.
  - Definitio
    - Relata, qua refertur ad genus.
    - Absoluta, qua refertur ad indiuidua, quæ sunt vel *(Quatuor sunt genera indiuiduorū)*
      1. Propria, vbi sunt propria nomina, vt Plato, Cæsar.
      2. Demonstratiua, quæ constant ex nomine demonstratiuo, vt hic homo.
      3. Vaga, quæ ad vnum certum mentem non dirigunt, vt aliquis homo.
      4. Ex hypothesi seu supposititium, cum unum necessario intelligitur, vt Mariæ filius, id est, Iesus.
  - Species est vel *(Species est triplex.)*
    - Subiicibilis tantum, vt animal: quod eo solum respectu species dicitur, quo subiicitur.
    - Prædicabilis tantum, vt, punctum, vnitas, materia, quæ nulli generi subiiciuntur per se.
    - Subiicibilis & prædicabilis, vt homo, quæ vulgo infima vel specialissima vocatur, & hæc definitur.

Opponens.

Labefactatio questionis

Id ordine disciplinæ præcederet, sine quo aliquid commode cognosci non potest: sed sine differentia quæ est causa speciei, species commode cognosci non potest, ergo differētia præcederet speciē ordine disciplinæ. Maior cōstat. Minor sic probatur. Species esse non potest sine differentia, ergo cognosci nō potest sine differentia. Si negetur argumentum, sic doceo: Constare semper debet rem esse priusquam cognosci potest. sed non constat speciem esse sine cognita differentia: ergo sine differentia commode cognosci non potest.

Resp.

- *Cognoscitur species bifariam, vel*
  - *Per demonstrationem absolute, & sic revera sciri non potest sine differentia.*
  - *Per collectionem rerum singularum, vel per comparationem ad genus, & sic hoc loco tractatur.*

Oppon.

Plato & Socrates conueniunt in binario numero: ergo homo qui est species, de differentibus numero non prædicatur.

Resp.

Plato & Socrates conueniunt numero formali, sed non materiali, hoc est, inter numerandum differunt, atque diuersis vnitatibus distinguuntur, quod est satis.

Oppon.

Socrates & Plato in pluribus, quam in numero solo differunt, nimirum in forma, in loco, in genere, &c. Ergo solo numero non differunt indiuidua.

Resp.

- *Considerantur in rebus singulis duo:*
  - *Essentia, & sic solo numero differunt.*
  - *Existentia, & sic in multis accidentibus quoque differunt, iuxta illud:*

Forma figura, locus, stirps, tempus, patria, nomen,
Hæc septem propria continet omnis homo.

Opponens.

Vniuersalis est dici de subiectis, sed species aliquando subiicitur generi, ergo aliquando species non est vniuersale.

Resp.

Natura prædicabilis est in potestate prædicandi, non in actu: quare etsi aliquando subiiciatur generi, retinet tamen potestatem prædicandi.

Oppon.

Binarius numerus est species: sed indiuidua binarii numeri, vt hic binarius & ille numero non differunt: ergo omnia indiuidua alicuius speciei numero non differunt. Minor probatur, quia sic idem numerus differret ab eodem numero per alium numerum, quod est incommodum.

Resp.

Duo binarii numeri differunt ratione rerum quas numerando distinguunt: vel dicendum est, differre inter numerandum, non per alium numerum, sed per distinctionem suarum vnitatum.

Opponens.

Indiuiduum in substantia aliquid rei addit speciei suæ, nempe materiam physicã ergo non completur a specie quoad essentiam.

Resp.

Quadruplex fuit opinio de hac re: Vna, quod materia signata, vt aiunt (id est, materia ornata quantitate) sit causa distinctionis in rebus singulis: Secunda, quod sola quantitas numero indiuidua differre faceret: Tertia, quod multiplicatio materiæ primæ illa distingueret: Quarta, quod differentia singularis, quæ nihil aliud est quam propria affectio alicuius indiuidui, discrimen efficeret. quæ opinio vera est, & sic nihil internum additur speciei ab indiuiduo, etsi additur externi aliquid, quod non refert. *Quatuor opiniones de essentia & distinctione indiuiduorum.*

Oppon.

Sol, luna, phœnix vnum tantum habent indiuiduum, ergo de pluribus omnis species non prædicatur.

Respondens.

Non in actu multorum indiuiduorum, sed in potestate prædicandi de pluribus, si essent, aut si esse possent, consistit natura speciei.

Oppon.

Species dicitur totum indiuiduorum apud Porphyrium in textu: ergo indiuidua nihil addunt speciei ex se.

Resp.

Est species totum indiuiduorum, id est, completum eorum principium, vel totum esse eorum internum, non externum: nam existentiam ab accidentibus, essentiam a speciebus habent.

Opponens.

Embryo dicitur de hoc & illo in quid, at non est species, quia non est completa natura, vt aiunt interpretes, ergo male definitur.

Resp.

Tria requiruntur in specie,
- *Vt sit sub assignato genere, hinc principia excluduntur.*
- *Vt sit completum actu, sic embryo omniaque imperfecta eximuntur.*
- *Vt sit totum per se, hinc partes integrales non sunt species.*

In specie requiruntur tria.

Oppon.

6. Ethic.

Æternum de caducis non dicitur, sed species est æterna, quia est vniuersale: indiuidua sunt caduca, ergo species de indiuiduis non dicitur.

Resp.

Etsi vnum & alterum indiuiduum corrumpitur, omnia tamen sub essentia speciei non corrumpuntur: vel si mauis dicimus indiuidua diuisim sumpta, esse quidem mortalia; ordinem tamen & cohærentiam speciei ad indiuidua corrumpi non posse.

CAP. VII.

Vtrum differentia recte tradatur.

Ordo.

DIfferentia (quæ in constitutione speciei imitatur formam) præcedit proprium ordine naturæ: quia est eius efficiens causa, quippe ex genere & differentia (quæ sunt interna principia speciei) omnia propria fluunt & suscipiuntur: sunt enim genus & differentia quasi materia & forma respectu speciei: sunt autem efficientes causæ respectu proprij. Quamuis igitur eædem res sint causæ vtriusque, sunt tamen in diuerso genere causarum; nam illius internæ, huius externæ dicuntur.

Significatio.

Significatio differentiæ est vel analogica, vel dialectica: illa communis vel propria est: hæc vero magis propria. Communis differentia est accidens separabile, quo indiuiduum ab alio indiuiduo vel a seipso differt, vt Plato sapiens differt a Gryllo, Plato senex differt a seipso iuuene.

Differentia propria est insita affectio, vel inseparabile accidens, quo indiuiduum ab indiuiduo, vel indiuiduum a seipso distinguitur: exempli causa. Cæsar habens cicatricem, differt a Narcisso, qui nullum næuum, nullam labeculam deformitatis habuit, & Cæsar iuuenis, accepto vulnere, per cicatricem eiusdem vulneris, a seipso puero non habente distinguitur.

Definitio.

Magis propria differentia dicitur: quia magis est differentia quam propria. Hæc definitur, forma, qua species a specie intrinsecus separatur: vt, Homo per rationis compos differt a bellua, quæ est rationis expers.

Diuisio.

Hæc differentia distinguitur in genericam, quæ constituit illud, quod potest esse genus: & in specificam; quæ soli speciei conuenit. Generica est, vt sensibile quod definit animal: specifica est, vt rationale, quod definit hominem. Vtraq; sub vna definitione coerceri potest hoc modo.

Differentiæ definitio.

Differentia est prædicabile, quod de pluribus differentibus specie, vt generica: vel de pluribus differentibus numero, vt specifica in quale quid prædicatur: in quale, quia distinguit, quod est qualitatis; in quid quia definit quod est substantiæ: vel in quale respectu sui, in quid respectu generis: vel denique in quale quid, id est, in quale essentialiter.

Alia definitio.

Definitur etiam differentia, vt sit forma, qua species superat suum genus, non multitudine sed perfectione: non potentia, sed actu: sic homo vnam differentiam actu habens superat animal, plures sua potentia continens.

Postremo considerandum est, quod vna eademque differentia dicatur aliquando diuisiua, aliquando constitutiua; diuisiua generis, constitutiua speciei: exempli causa: si diuidas animal, rationis compos, & expers rationis sunt differentiæ diuidentes: si vero definias hominem & belluam, constituentes appellantur.

Ratio ordinis.

Rationes ordinis in differentia ad proprium, sunt {
- Quia omnis causa præcedit effectum, sed differentia est causa proprij, ergo præcedit proprium.
- Quia omne internum præcedit accidens, sed differentia est substantia, & quiddam internum, ergo præcedit proprium quod est externum seu accidens.

Differen-

Differentiæ magis propriæ sunt quatuor officia, quibus a reliquis distinguitur.

- Diuidere genus, vt animalium aliud est { Rationale. / Irrationale.
- Definire speciem, vt, Homo est animal rationale.
- Definitam speciem ab aliis omnibus distinguere.
- Non suscipere magis & minus: sic Plato sapiens non magis rationis compos in essentia dicitur, quam omnium stultissimus Gryilus.

Opponens.

Differentia est causa speciei, quæ est substantia: ergo non est causa proprij, quod est accidens: Argumentum probatur, quia diuersarum rerum genere diuerse sunt causæ. *Oppugnatio quæstionis.*

Resp.

Diuersarum rerum vna causa esse potest diuerso respectu: vt, Sol est causa resolutæ ceræ, & induratæ terræ: sic differentia est forma speciei, & efficiens causa proprij.

Oppon.

Ex substantia non fit non substantia, quinto Metaphys: sed differentia est substantia: ergo ex illa non fit proprium, quod est non substantia.

Resp.

Ex substantia non fit non substantia, sed ex substantia id quod est non substantia fluit: fieri enim proprie aliquid dicitur, quod constat ex materia & forma: fluere autem id dicitur, quod constitutionem rerum vtcunq; sequitur.

Oppon.

Communis & propria differentiæ sunt, vt patet in illarum definitione, accidentia: sed accidentia distinguuntur realiter a differentia: ergo male definiuntur communis & propria differentia.

Resp

In his affectionibus est duplex respectus. { *Inhærendi, sic sunt accidentia.* / *Distinguendi, sic sunt differentiæ.*

Oppon.

Nihil differt a seipso: ergo male definiuntur communis & propria differentia.

Resp.

Nihil differt a seipso essentialiter, at contingenter potest.

Oppon.

Porphyrius definiuit solam genericam differentiam: ergo aut videtur ignorasse differentiam specificam, aut saltem otiose & negligenter eam definitionem tradidisse.

Resp.

Verum Porphyrius ignorauerit specificam differentiam, cum speciem infimam esse agnoscat, dubitatio inutilis mihi esse videtur: si enim sit species infima, erit etiã specifica differentia, nam illa sine hac esse non potest. Constat ergo iam esse, nosse tamen Porphyrium non constat: qui fit ergo, quod hominem infimam speciem appellet, & animal rationis compos definiat: adiecit Mortale. fortasse dices, vt hominem ab Angelo distingueret? Quid? An id ipsum rationale quod diuidit animal, & definit hominem, Deo (nam hoc est exemplum) conuenire putauit Porphyrius? Putauit sane ergo Deum, & animal, & corpus esse putauit. Nam cuicunq; conuenit differentia alicuius generis, eidem etiam conuenit & ipsum genus generuque genus ad summum vsque, Cæterum hoc est a Platonis doctrina, quam sequitur, alienum,

& etiam a sua in communitatibus & differentiis prædicabilium; vbi dicit, sublatis compotibus & expertibus rationis, remanere animal in mente diuina. Huc ergo accedit mea de hac re longior disceptatio, vt probem, non ignorasse Porphyrium infimæ speciei differentiam: sed aliud rationale conuenire homini, aliud Deo insinuasse; vnde illa antiqua distinctio non fuit otiosa: quod triplex sit ratio, alia dirigens, vt regula, quæ est differentia scientiæ; alia contemplatiua, quæ est differentia Angeli; alia discursiua, quæ est differentia hominis.

Ratio triplex.

Oppon.

Directio, contemplatio, & discursus rationis natura non differunt, ergo inanis est distinctio.

Resp.

Etsi hii actus non differunt, potentiæ tamen re & natura differunt: nam rationalis scientia est in qualitate, ergo re differt ab homine, qui est substantia. Rationale in Angelo, nec præsentia cum antecedentibus confert, nec de futuris deliberat, sed Metaphysica facultate omnia vt præsentia contemplatur: ergo non modo, sed re a ratione in homine distinguitur.

Opponens.

Genus & species diuersa constituunt prædicabilia, quia illud de pluribus differentibus specie, hæc de pluribus differentibus numero in quid prædicatur. Ergo a pari, Differentia generica, & differentia specifica distincta efficerent prædicabilia, quia illa vt genus de multis specie differentibus, hæc vt species de multis numero differentibus in quale quid affirmatur.

Resp.

In genere & specie sunt duo distincti modi formales prædicandi, quia illud in quid confuse, hæc in quid complete effertur. Differentia vero generica & specifica vnus est formalis modus prædicandi: distincta ergo prædicabilia non constituunt.

Opponens.

Omnis forma essentialis est actus primus rei quam constituit; sed omnis differentia est forma essentialis; ergo omnis differentia est actus: & proinde vis ratiocinandi, quæ est differentia hominis: vis sentiendi, quæ est differentia animalis, sunt actus, non potentiæ.

Resp.

Sunt actus specierum quas definiunt, sunt potentiæ generis quod diuidunt.

Oppon.

1. de Anima. 3. cap.

Rationale est idem re ipsa cum anima ratiocinatrice, quia est eius prima potentia sed anima ratiocinatrix est reipsa incorporea substantia; ergo rationale est re ipsa incorporea substantia. Quibus concessis, de homine, vt differentia non dicitur: nam diuersorum generum & non subalternatim positorum, vt sunt spiritus & corpus, diuersa sunt differentiæ, quæ de vna re minus communi enunciari non possunt.

Resp.

Etsi rationale & anima ratiocinatrix vna res sunt, si per se separatim a corpore considerentur: vis tamen animæ quæ est in homine, diuersam essentiam Dialecticam ab anima habet. Nam actus & potentia, vt risus, & risibile, Dialectice in Ratione prædicabilis & natura differunt: sic anima quæ est actus, & rationale quod est potentia. Nam anima est species spiritus, Rationale differentia animalis.

CAP. VIII.

Vtrum propium bene definiatur.

Ordo.

ORdo naturæ postulat, vt proprium accidens propter multas causas præcederet. Omnis enim potentia præcedit actum, at proprium est potentia, vt risibile; accidens vero actus, vt fletus, ergo proprium præcedit ac-

dit accidens. Præterea, Omne necessarium præcedit contingens & fortuitum; sed omne proprium est necessarium; ergo præcedit accidens, quod est contingens & fortuitum. Postremo, Omne reciprocum præcedit illud, quod non reciprocatur; sed omne proprium conuertitur; ergo præcedit accidens, quod non reciprocatur.

Propriorum, vt ait Porphyrius, sunt quatuor genera, quorum primum conuenit soli speciei, non omni indiuiduo, sub eadem specie: vt Medicum esse conuenit soli homini qui est species, non omnibus & singulis sub homine; Nam omnes non sunt medici. Animaduertendum tamen est, quod proprium primo modo pro potentia acceptum, fiat proprium quarto modo; vt, posse medicum esse, non soli, sed & omni, & necessario, & conuersim speciei conuenit. *Significatio proprii.* 1. *Cautio.*

Secundum genus est eorum, quæ omni indiuiduo sub specie aliqua competunt, non tamen soli speciei; vt, a natura omni homini conuenit bipedem esse, non tamen soli, quia & auibus, & etiam quibusdam serpentibus conuenit: si dicas monopodas esse multos, respondeo, hoc errore, non ordine naturæ fieri. 2.

Tertium genus hæc duo priora complectitur. Nam & soli cum primo, & omni cum secundo competit; sed ita competit, vt, præscripto & definito naturæ tempore conuenire dicatur: exempli causa, Canescere soli homini conuenit, & etiam omni, sed tantum in senectute: si vrgeas, sæpe iuuenes canescere, fatemur hoc fieri non vi naturæ, sed alia aduentitia fortuitaque causa, vt cura, studio, casu, vulnere, & his similibus, iuxta illud; 3.

Cura facit canos, &c.

Quartum genus est maxime germanum, & huic loco accommodatissimum, sub quo reliqua tria genera continentur. Hinc ab interpretibus sic definitur Proprium est potentia secunda, non prima, fluens, non facta ex genere & differentia: conueniens soli speciei, & omni indiuiduo sub eadem specie, semper, & necessario vtrique, conuersim denique cum sua specie. Quod dicitur secunda potentia, non prima, excluditur differentia, quæ est prima potentia generis: cum fluens, non facta dicitur, extrinsecus a principijs speciei oriri, non intrinsecus procreari demonstratur: per (conuenire,) prædicari: per (speciem,) non intentionem, se rem ipsam per (indiuiduum,) omnes res singulas sub specie: per (semper,) perpetuam cohærendi rationem: per (necessario) non essentiam, sed existentiā intelligimus. Sic Risibile homini, sic hinnibile equo: sic rugibile leoni conuenit, non essentialiter, sed contingenter. 4. *Definitio.*

Proprium est duplex. { Genericum, quod conuenit generi, vt Sensibile animali: vegetabile plantæ. / Specificum, quod speciei infimæ conuenit: vt risibile homini. } *Diuisio.*

Vtrumque intelligitur a Porphyrio, sed specificum vt primarium definitur.

Oppon.

Proprium primo modo est accidens, vt medicum esse: sed accidens primum indiuiduo conuenit, teste Porphyrio in communitatibus, ergo proprium primo modo indiuiduo potius quam soli speciei conueniret. *Oppugnatio quæstionis.*

Resp.

Cum dicitur proprium primo modo speciei soli conuenire, non omni indiuiduo, ordo conueniendi non spectatur. Nam primum indiuiduo medicum esse conuenit, soli tamen speciei conuenire dicitur, quia in omne indiuiduum non cadit.

Opponens

2. Topicorum *Quicquid cadit in genus, cadit etiam in omnem speciem eiusdem generis: ergo a pari: quicquid cadit in speciem, cadit etiam in omne indiuiduum eiusdem speciei: proinde proprium primo modo, quia cadit in speciem, cadit etiam in omne indiuiduum eiusdem speciei.*

Resp.

Quidquid essentialiter, aut conuertibiliter cadit in speciem, cadit in omne indiuiduum eiusdem speciei: vel dicendum est, quod hoc argumentum in proprio primi modi non cohaereat: nam primum indiuiduo, non speciei conuenit, vt, quia Galenum est Medicus, ergo & homo.

Oppon.

Bipes est pars integralis hominis, ergo non accidit homini; proinde, non est proprium secundo modo, quod debet esse accidens.

Resp.

Bipedem esse non significat duos pedes, qui sunt partes integrales, sed aptitudinem habendi duos pedes a natura, & sic est accidens.

Opponens.

Aptitudo seu potentia conuenit semper subiecto cuius est, sed canescere in tertio modo proprii accipitur pro potentia: nam actu omni indiuiduo non conuenit: ergo frustra adhibetur negatio illa (non semper) in tertio modo.

Resp.

Potentia duplex.

Potentia est
- *Absoluta, quae semper conuenit, vt Risibile.*
- *Respectiua, quae praescriptum tempus habet a natura, vt videre posse catulum in nono die: florescere plantam in vere, ac florescere in autumno: canescere in senectute.*

Oppon.

Differentia est forma & actus speciei; omnis enim forma est actus, ergo proprium est prima potentia speciei; ergo inconsiderate definitur secunda potentia.

Resp.

Differentia duplicem respectum habet, vel
- *1. Constitutionis, & sic est forma & actus speciei.*
- *2. Actionis, ad quam aptum subiectum reddit. & sic est potentia, eademque prima: exempli causa. Rationale constituens hominem, est forma & actus; aptum autem reddens ad discutiendum, est prima potentia.*

Oppon.

A priore naturae ordine non conuertitur subsistendi ratio; sed species est prior naturae ordine suo proprio, quia est substantia: ergo a specie ad proprium non conuertitur subsistendi ratio.

Resp.

Ratio subsistendi in specie & proprio non conuertitur: nam subsistit species sine proprio in simplici intellectu: qui nudam & simplicem essentiam speciei vere aliquando ab omni affectione & accidente diuidit, diuisamque percipit. Caeterum, vbi dicitur proprium reciprocare, intelligitur ratio existendi, quam speciei suo proprio & accidenti acceptam refert.

Oppon.

Oppon.

Simul tempore dici non possunt illa, in quæ tempus omnino non cadit, at tempus non cadit in proprium & speciem (cum sint vniuersa) ergo species & proprium simul tempore non sunt.

Resp.

Simul tempore dicuntur, non quod in illis (quæ sunt vniuersa & æterna) sit tempus; sed quia vnum sine altero, non potest existere, quod est actus temporis.

Oppon.

Simul tempore definiuntur in post prædicamentis: quorum generatio est simul; sed non est generatio proprii & speciei, ergo non sunt simul tempore.

Resp.

Simul tempore dicuntur, vel { *Proprie, quorum generatio est in eodem tempore, vt duo gemini.* / *Communiter, quorum actus & existentia simul sunt, sic species & proprium simul tempore appellantur.* } — *Simul tempore dupliciter.*

CAP. X.

Vtrum Accidens recte tractetur.

INter omnia prædicabilia, Accidens indignissimum habet prædicandi modum, omnium ergo postremum locum ei ascribendum esse putarunt interpretes: si rationem quæras, sciendum est, Accidens nullam vim, nullam constantiam, nullam anchoram habere naturæ suæ, sed quicquid est in subiecto esse. Est enim accidentis esse (iuxta id quod dici solet) inesse subiecto, ita vt si non insit, non sit omnino; hinc inhærentiam de ipsa natura accidentis esse statuimus. Quippe inhærens & infixum accidens manet, auulsum vero & separatum concidit. Superuacaneum hic est, alias aliasque significationes accidentis excludere: nam ex ante dictis quot modis genus, quot modis species, quot modis differentia & proprium dicuntur, constat: non opus ergo est notatis significationibus, accidens a reliquis distinguere. Definiamus igitur, Accidens id est prædicabile, quod adesse & abesse potest sine interitu subiecti. Definitur accidens hic vniuersale, vt coloratum, non singulare, vt hoc coloratum; positiuum vt vita, non priuatiuum vt mors: reale, vt candor, non intentionale, vt color in iride: concretum, vt album, non abstractum, vt albedo; cuius subiectum est in actu, vt splendor solis: non in potentia, vt motus materiæ primæ, quæ semper est in potentia non actu: per adesse, prædicari: per abesse, negari, intelligitur. Negari autem dicitur, non quod negatum maneat, sed quod negatum subiecto interitum non inferat, essentiam non tollat, simplicem naturæ intellectum non conuellat. Huc apud Porphyrium adiiciuntur & aliæ definitiones vel notationes potius accidentis, quarum altera per inhesionem, altera per abnegationem traditur. Illa est, quod accidens sit, quod inesse & non inesse potest. Hæc vero quod sit neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium: subiecto tamen quiddam inhærens semper: semper dico, non quod semper inhæreat, sed quod eius natura cohærere non possit, si semper non inhæreat. (Vox semper) ergo non respicit tempus, sed naturam accidentis. Postremo diuiditur accidens in separabile, quod facile dilui & deleri potest, interim vt subiectum nullum quasi motum, nullam sui mutationem sentiat, vt est candor in pariete: inseparabile, sic nominatum, non quod omnino separari non possit, sed quod difficulter quidem possit, vt calor in igne, splendor in sole.

Ordo.

Inhærentia est de natura Accidentis.

Significatio. Definitio.

Aliæ notationes.

Diuisio.

Accidens duplciter sumitur.

Accidens accipitur, vel { Generatim, pro omni eo quod non est ex essentia rei, & sic propriu m respectu speciei, sic partes integrales respectu totius, sic inferiora respectu superiorum accidentia dicuntur. Speciatim, pro eo solo, quod inhæret subiecto, & sic hoc loco definitur

Accidens formale & materiale.

Accidens inseparabile est. { Formale, quod reddit subiectum aptum ad agendum naturaliter, & hoc difficillime separatur per intellectum simplicem & diuidentem, vt calor in igne. Materiale, quod sequitur materiam aut totum compositum, & hoc facilius separatur per intellectum compositum, vt candor in cygno.

Opponens.

Quicquid definitur habet essentiam certam necessariam, & finitam, sed accidens non habet, quia dependet a subiecto ergo accidens recte non definitur.

Respondens.

Non proprie definitur, sed per subiectum explicatur.

Oppon.

Cum abest accidens, non est omnino teste philosopho in secunda diuisione antepredicamentali, sed definitio docet abesse aliquando posse: ergo definitio docet non esse, & proinde non est vniuersale, quia cum abest, corrumpitur.

Respondens.

Accidens indefinite sumptum pro hoc & illo accidente abesse & corrumpi dicitur, vt vniuersaliter sumptum non corrumpitur. vel abesse potest respectu subiecti non respectu sui.

Opponens.

Priuatio fortuito prædicatur aliquando, vt homo est mortuus, homo est somnolentus, ergo priuatio est accidens.

Resp.

Priuatio secundum actum vt somnus non excluditur, at priuatio secũdum actum & potentiam, vt mors excluditur; nam tollit, non ponit quicquam.

Oppon.

Concretum & abstractum sunt re eadẽ, quia sunt coniugata, ergo si re concretum sit accidens prædicabile, & etiam abstractum erit.

Resp.

Fallax est argumentum a male coniunctis, & a mutatione suppositionis: nam etsi vtrumque accidens esse concedimus quoad inhærentiam quæ est natura accidentiu, non tamen quoad prædicationem, quæ est fortuita vtrique.

Oppon.

Imago in speculo, color in iride, species rerum in animo aliquid sunt, non substantia, ergo sunt accidentia.

Resp.

Sunt accidentia intentionalia, non realia.

Oppon.

A rẽ fiunt: sensum pulsant & feriunt, aeri inhærent, ergo res sunt: nam qualis causa talis effectus in genere entis 2. Metaph.

Resp.

Non fiunt per se, vt res, sed per radios luminis, qui sunt æthereæ qualitates. Prætereà, fieri propriè non dicuntur, sed imprimi in aere, fluere ex obiecto multiplicari ex lumine, recipi & terminari a sensu; vnde ad mentem transferuntur, in qua, vt in subiecto conseruantur.

Oppon.

Opponens.

Omnis motus est in mobili vt in subiecto, teste philosopho 3. Physicorum, sed materia prima est mobilis ad formas, ergo in materia prima inest motus: quibus concessis sequetur accidens, nimirum, motum inesse subiecto, quod non est actu, sed tantum potentia: nam materia prima est ens semper in potentia, teste philosopho primo Physicorum.

Respondens.

Mouetur materia prima non per motum, vt elementa, sed per natiuam potentiã, quæ re a materia non differt. Hæc potentia vulgo motus vel appetitus materia dicitur: alij respondent motum inesse materiæ primæ, vt in suo principio, non vt in suo subiecto.

Oppon.

Vox ab ore proferentis, in aurem percipientis, odor pomi in manum, imago hominis in speculum, calor aeris commutati in ignem, figura Socratis viui in mortuum transmigrant, manentque eadem, ergo idem accidens numero migrare a subiecto in subiectum potest.

Resp.

Vulgo hæc exempla iactantur in scholis. Recte respondent philosophi, vocem, odorem, imaginem multiplicari calorem aeris per superantem calorem ignis extingui, figuram Socratis sequi materiam & quantitatem, ideoque manere: nam subiectum quantum non mutatur, at subiectum viuum ac animatum mutatur.

CAP. XI.

An subiectum prædicamentorum, an æquiuoca, vniuoca, & denominatiua recte statuantur?

SÆpe mirari soleo ingenium artemque Aristotelis in multis mysteriis naturæ reserandis; in hoc vno autem satis admirari non possum, quod ad decem capita non solum res omnes, sed etiam rerum vires, naturas, affectiones, ordines reuocauerit. Recte ergo ille; *Aristotelis diuinum ingenium.*

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo diuisit quicquid in orbe fuit.

Hæc capita (bone lector) diligenter perscrutare; hos fontes degusta; hos pyxides Mineruæ ex illa, inuenies artem, inuenies fructum: vno enim quasi intuitu rerum omnium imagines graphice delineatas videre potes. Sed vt hoc tantum negotium expedias melius, idem Aristoteles istius rerum theatri author & inuentor, viam compendiariam struxit, & veluti comes in via filum dedit: quod tenentes ab omnibus difficultatis laberynthis facillime emergere & eminere possimus. Per viam compendiariam, introductionem: per filum, ordinem intelligimus. Introductio quædam præcepta, (quæ vulgo antepredicamenta dicuntur) continet, ordo inductionem dilucidam & perspicuam reddit: in introductione traduntur septem antepredicamenta: in ordine perspicitur eorum optima distributio, vt primum definitio, hinc diuisio, postremo regula perdiscatur. His prælibatis, Antepredicamentum definimus præceptum breue & dilucidum, quo facilius natura, vis, vsus, ordoque rerum in prædicamentis intelligantur. *Introductio via est, ordo filum.* *Antepredicamentum quid.*

Subiectum huius partis, est ens rei, vt substantia: non rationis, vt genus; finitum, vt virtus; non infinitum, vt Deus; simplex, vt homo; non complexum, vt propositio; positiuum, vt vita; non priuatiuum, vt mors; *Subiectum tractatus.*

vniuocum, vt leo; non multiplex, vt canis; completum, vt animal: non inchoatum, vt embryo: non difforme, vt monstrum; in ordine subiiciendi & prædicandi positum, vt igni sub elemento; non extra seriem locatum, vt transcendens. Hinc trita est illa propositio: Quicquid est ens, aut est substantia aut accidens, id est, Quicquid est ens rei, finitum, simplex, positiuum, vniuocum, completum, secundum sub & supra, vt aiunt, in ordine prædicamenti positum, illud ipsum est aut substantia, aut accidens.

Æquiuoca. Inter septem Antepraedicamenta, æquiuoca primum discutienda occurrunt, idque ob hanc causam, vt mala cognita facilius euitentur. Sunt enim æquiuoca ab omni prædicamento arcenda, vt modo patuit in explicatione subiecti. Definiuntur vel notantur potius esse nomina primæ vel secundæ intentionis, quę multiplici ancipitique significatione sua, mentem humanam in varias cogitationes distrahuut & impellunt, aut, si magis placet, definiuntur entia, quorum nomen quidem est commune, ratio vero eidem nomini conueniens, alia aliaq; vt canis, Taurus.

Vniuoca. Æquiuocis recte succedunt vniuoca vt opposita iuxta se posita magis elucescant. Horum vsus est in cognoscendo ordine rerum omnium in prædicamentis positarum, quæ semper de se inuicem vniuoce prædicantur; vt animal de homine, habitus de virtute.

Vniuoca sunt entia rei, quorum non solum nomen est commune, sed etiam ratio eiusdem nominis; vt animal, non solum secundum nomen conuenit homini, & belluæ, sed etiam animalis definitio, quæ est corpus animatum sensibile eisdem conuenit.

Denominatiua. Denominatiua, tertium locum inter antepraedicamenta primi ordinis vendicant; nam definitio præcedit diuisionem, diuisio præcedit regulam; cum ergo antepraedicamentum in definitionem, diuisionem, regulam distribuatur recte quidem hæ tres definitiones æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum reliquis præmittuntur. *Ratio ordinis.* Sunt ergo denominatiua entia rei, quæ per nomina primæ intentionis ab vno primario orta & deriuata, varie secundum inflexionem nominis solo commutantur in fine, vt a iustitia, iustus iuste: a clementia, clemens, clementer.

Antepraedicamenta quot sunt.

Antepraedicamenta sunt tria in genere, in specie, 7. nimirum,
- Tres definitiones
  - Æquiuocorum.
  - Vniuocorum.
  - Denominatiuorum.
- Duæ diuisiones
  - Nominum, quorum est dici.
  - Rerum, quarum est esse.
- Duæ regulæ
  - Cognatorum.
  - Diuersorum.

Æquiuoca dicuntur, vel
- Æquiuocantia, quæ sunt nomina communia, vt canis, taurus.
- AEquiuocata, quæ sunt significata eorum nominum communium: vt canis marinus, domesticus, cælestis, & hæc proprie definiuntur.

Iterum æquiuoca distinguuntur vel
- A consilio seu analogia, quæ secundum prius & posterius conueniunt suis significatis, vt nomen leonis viuo & picto leoni: vt nomen hominis viuo homini & statuæ Cæsaris.
- A casu, quę æqualiter suis significatis conueniunt, vt nomen canis, tauri, gruis.

AN AEQVIVOCA SINT IN VOCE.

AEquiuoca sunt in
- Voce, propter penuriam verorum nominum, quibus res appellarentur.
- Conceptu, propter malam intelligentiam rerum: nam vt ex defectu nominis, ita ex errore intellectus æquiuocum sæpe nascitur.

DISTINCTIO VNIVOCORVM.

Vniuocum capitur
- Fuse, pro omni eo quod non est æquiuocum, & sic cuncta accidentia prædicantur vniuoce.
- Stricte, pro eo solo, cuius & nomen & definitio sunt communia.

Vniuocorum alia sunt
- Vniuocātia, quæ sunt nomina communia, vt animal, virtus,
- Vniuocata, quæ sunt significata nominum, vt homo, belliua sub animali, virtus & vitium sub habitu.

Vniuoca sunt in
- Rebus propter naturæ constantiam.
- Vocibus apte rebus applicatis propter vtriusq; cohærentiam.

DISTINCTIO DENOMINATIVORVM.

Denominatiuum triplex

Triplicia sunt Denominatiua
- Voce, quæ tātum in nomine conueniunt, significatione autem differunt, vt studium & studiosum.
- Significatione, quæ solum in sensu, & non in voce consentiunt, vt virtus & studiosum.
- Voce et significatione, quæ in vtroq; conspirant, vt iustitia iustus iuste, & hæc proprie hic intelliguntur.

In denominatiuis spectanda quatuor.

In denominatiuis consideranda sunt.
- Denominatum, quod est subiectum aliquo accidente vestitū vt Cæsar.
- Denominans, quod est primarium nomen substantiuum apud Grammaticos, vulgo abstractum nominatum apud Dialecticos, vt Clementia.
- Denominatiuum, quod est adiectiuum deductum ex eodem nomine communiter concretum appellatum, vt Clemēs.
- Casus, quod est aduerbium, per quod reliqua in argumentatione connectuntur, vt clementer.

vnde — Subiectum, Abstractū, Concretum, Casus.

Subiectum a subiiciendo, quia subijcitur, vt Cæsar.
Abstractum ab abstrahendo, quia de subiecto non dicitur, vt Clementia. Concretum a concernendo, quia consignificat subiectum, vt Clemens. Casus a cadendo, quia reliqua in illum vi argumentationis cadunt, vt Cæsar habet clementiam, ergo est clemens, ergo clementer agit: Notandum est, quod denominatiua hæc dicantur quoad prædicationem; Coniugata vero quoad argumentationem: primo modo accepta hic tractantur, secundo modo in libris Topicorum.

ARGVMENTA IN AEQVIVOCA.

Oppugnatio æquiuocorum.

Oppon.

Aristoteles habitus est semper obscuritatis & breuitatis magister, ergo antepraedicamenta non scripsit facilitatis causa.

Resp.

In occultis & abditis naturæ præceptis obscuritati & breuitati studet: at in Dialectica quæ est methodus, & quasi via ad omnes scientias, facilitatem proponit: esset enim admodum absurdum deuia demonstrare, cum viam rectam indicares.

Opponens.

Prædicamenta sunt prima initia rerum, ergo nihil habent ante se, & proinde non sunt antepraedicamenta.

Resp.

Nihil habent ante se in constitutione rerum, at in cognitione habent. Sunt enim prædicamenta principia constitutionis, Antepradicamenta vero principia cognitionis.

Opponens.

Ordo pradicandi & subijciendi est ens rationis: Sed ordo prædicandi & subijciendi potissimum spectatur in prædicamento vt patet in definitione eiusdem, ergo ens rationis est potius subiectum huius partis quam ens rei.

Ens rei non rationis est subiectum prædicamentorum.

Resp.

Fatemur res in prædicamento positas esse quasi semina inuentionis in ordine prædicandi & subijciendi, ens rei tamen est subiectum primarium, cui hæc relatio ad propositionem contingit.

Oppon.

Rerum est esse, vocum dici: sed omnia in prædicamentis posita dicuntur, ergo non sunt res sed voces.

Resp.

Duo in prædicamento spectantur { *Dicendi ratio per vocem.* / *Constitutio per rem ipsam.* }

Oppon.

Ordine disciplinæ quæ certa sunt præcederent confusa: sed vniuoca sunt certa, ergo præcederent æquiuoca, quæ sunt confusa.

Resp.

Confusum est vel { *Remotius a sensu, & vniuersalius, & sic ordine disciplinæ rem certam sequitur.* / *Multiplex & perplexum significatione, & sic est distinguendum priusquam definiendum.* }

Oppon.

Æquiuoca definiri non possunt, teste Philosopho 6. Topicorum, ergo male hic definiri dicuntur.

Resp.

Non est definitio sed notatio nominis.

Opponens.

Est Nugatio in definitione æquiuocorum: nam si solum nomen sit commune, non opus est adijcere rationem aliam atque aliam esse.

Resp.

Inseruntur illa verba in calce definitionis perspicuitatis causa.

Oppon.

Canis vt est multiplex significatione, continetur sub vniuoco, nempe corpore vel substantia, ergo est vniuocum.

Resp.

Continetur remote sub vniuoco, non proxime: quod requiritur si esset vniuocum.

Oppon.

Si analogum admittatur, sequeretur omnia esse æquiuoca (nam omnium rerum potest esse aliqua similitudo & proportio) sed hoc est absurdum, ergo non est admittendum analogum.

Resp.

Analogum accipitur pro primaria significatione, & sic est vniuocum: ne tamen sub specie veræ significationis fallamur, analogum vt æquiuocum nobis proponitur.

Oppon.

Vox & conceptus sunt diuersa, ergo si æquiuoca sint in voce, non sunt in conceptu.

Resp.

Sunt in voce & conceptu diuerso respectu, vt antea diximus.

Oppon.

Sanum æquiuoce dicitur de homine, vrina, medicina: sed hæc tria non sunt æquiuoca æquiuocata, teste Boetio, ergo male definiuntur æquiuoca.

Resp.

Sunt æquiuoca secundum similitudinem & proportionem.

ARGVMENTA IN VNIVOCA.

Oppon.

Vniuoca dicuntur secundum idem nomen, & eandem nominis rationem: sed est vocum dici, ergo vniuoca sunt potius nomina quam res ipsa. Oppugnatio Vniuocorum

Resp.

Dicuntur per vocem, sunt & consistunt in rebus.

Oppon.

Homo & bellua habent diuersas rationes sub animali, ergo non sunt vniuoca.

Resp.

Habent diuersas rationes proximas sui, sed non habent diuersas animalis, quod vniuocum vniuocans appellatur, eorum respectu.

Oppon.

Summa genera, differentia, propria accidentia, definiri non possunt: nam, teste Boetio, sola species definitur, ergo non possunt esse vniuoca: nam ea quæ non definiuntur secundum definitionem prædicari non possunt.

Resp.

Per nomen definitionis in notatione vniuocorum, intelligitur vel germana definitio, vel qualiscunque ratio naturæ par & similis in subiectis.

ARGVMENTA IN denominatiua.

Oppon.

Denominatiua re non differunt a coniugatis, ergo recte non definiuntur. Oppugnatio denominatiuorum.

Resp.

Ratione differunt: nam denominatiua tantum prædicationem, coniugata argumentationem respiciunt.

Oppon.

Homo humanum, Aurum aureum Linea lineatum, Corpus corpulentum, &c. videntur per definitionem esse denominatiua: sed non sunt ex sententia Philosophi 5. Metaphysicorum, ergo pluribus definitio quam definitum conuenit.

Resp.

Conditio perpetua est denominatiuorum, vt denominans, denominatiuum, & casu re differant a denominato. Cum ergo aureum ab auro, lineatum a linea re non differant, non sunt denominatiua. Nota.

Oppon.

Somnus somnolentus, studium studiosus oriuntur & clauduntur, vt denominatiua, sed ex sententia omnium interpretum non sunt, ergo male definiuntur.

Resp.

Definiuntur hic denominatiua vel re solum, vel re & voce simul: hæc vero cum voce tantum consistunt sub ista definitione non continentur.

CAP. XII.

An duæ Diuisiones probe tractentur.

Diuisum prioris diuisionis.

Simplex.

Complexum.

Explicatio secundæ diuisionis.

SEquuntur duæ diuisiones, quarum altera in vocibus, altera in rebus ponitur. Hinc est, quod philosophus in prima dicat, Eorum quæ dicuntur; in secunda, eorum quæ sunt; quasi insinuaret vocum esse dici, rerum esse. Prima diuisio præcedit secundam, quia est facilior vocum cognitio, quam rerum scientia. Diuisum primæ diuisionis est vox significatiua fusissime sumpta: Membra sunt simplex & complexum: illud recipitur, hoc reiicitur a prædicamentis.

Simplex est vox vna constans & incommutabilis manens secundum significationem, vt substantia, quantitas, homo, animal.

Complexum est oratio seu propositio ex multis vocibus & copula constituta, vt, Cæsar pugnat aduersus patriam. Vt secundam diuisionem intelligas, meminisse oportet illius axiomatis, quod (antea in subiecti explicatione) interpretati sumus: Nimirum, Omne ens rei, simplex, finitum, &c. esse aut substantiam aut accidens: si sit substantia est vel vniuersalis quæ dicitur de subiecto, & non inest: vt homo de Socrate, Animal de homine; vel singularis, quæ neque de subiecto dicitur, quia non habet; neque inest, quia est substantia, vt Socrates, Plato. Si sit accidens, est quoque vel vniuersale, quod & dicitur de subiecto, & inest: vt scientia dicitur de Rhetorica, & inest homini: vel singulare, quod quidem inest quia est accidens (cuius esse est inesse) non tamen dicitur de subiecto, quia & ipsum est singulare, cui nihil subiici potest: Sic hoc album inest huic cygno; hic calor huic igni; at neque hoc album de cygno, nec hic calor de igne dicitur. Inhærentiam definit Aristoteles Cohærentiam alicuius entis, quod non est pars subiecti cui inhæret, quodq; separatum a subiecto manere non potest. Hinc nullas substantias, aut substantiarum partes inesse: hinc sola accidentia inesse dicimus. Cæterum, vt loquar cum priscis interpretibus, octo assignantur modi inessendi. Primus est partis in toto: sic manus est in corpore. Secundus est totius in partibus: sic domus est in tecto & fundamento. Tertius est generis in formis: sic animal est in homine & bellua. Quartus est speciei in genere: sic homo est in animali. Quintus est formæ in materia: sic anima est in corpore. Sextus est effectus in causa efficiente: sic fructus est in radice. Septimus est rei in fine: sic virtus est in beatitudine. Octauus est contenti in continente: sic vinum est in amphora: hinc versus illi;

Inhærentia quid.

4. Physic. His adiicitur modus inhærendi accidentis.

Insunt pars, totumq, genus, & species, calor igni,
Rex in regno, res in fine, locoque locatum.

Vsus
- Primæ diuisionis, vt simplicia recipiantur,
- Secundæ diuisionis, vt substantiæ & accidentia distinguantur.

Complexum triplex est

Complexum est
- Voce tantum, cum multæ sint voces, res tamen vna, vt omnis definitio.
- Re tantum, cum vna sit vox, significat autem plura, vt omnis æquiuocatio.
- Re & voce, cum plures sint voces pluresque conceptus, vt omnis propositio, & hoc complexum proprie hic intelligitur.

DISTINCTIO SECVNDAE diuisionis.

Rerum aliæ sunt
- Substantiæ.
  - Vniuersales, quæ dicuntur de subiecto: sed non insunt, vt homo.
  - Singulares, quæ neque de subiecto dicuntur, neque insunt, vt Cæsar.
- Accidentia.
  - Vniuersalia, quæ dicuntur de subiecto, & insunt, vt color.
  - Singularia, quæ insunt, sed non dicuntur, vt hic color.

Subiectum in hac diuisione est, vel
- Inhæsionis, quod subijcitur accidenti, vt ignis calori.
- Prædicationis, quod subijcitur superiori in eadem serie, vt homo animali.

DISTINCTIO MODORVM inhærendi.

Modus inhærendi est, vel
- Fuse acceptus, & sic de eo agitur 4. Physicorum.
- Presse, & sic solum accidens inesse dicitur.

ARGVMENTA IN PRIMAM diuisionem.

Oppon.

Vox est diuisum primæ diuisionis, sed vox est æquiuocum, ergo & ipsa diuisio est æquiuoca. Oppugnatio diuisionis prioris.

Resp.

Est potius distinctio multiplicis, quam vera diuisio: vel dicendum est, æquiuocum distinctum vniuocum fieri.

Oppon.

Sub altero membrorum in hac diuisione, nempe sub nomine simplicium continentur omnia quæ sunt in prædicamentis; sed quæ reperiuntur in prædicamentis, res sunt non voces, ergo videtur, quod diuisum & membra diuidentia res sint, non voces.

Resp.

Res quidem sunt in prædicamentis per se, voces autem significatiue ratione rerum.

Oppon.

Complexum fit ex multis incomplexis, ergo hæc membra non sunt opposita: nam opposita ex se mutuo non constantur.

Resp.

Fit sane quoad compositionem multarum vocum, quæ est materia: non quoad significationem, quæ est forma orationis.

Oppon.

Complexum re, vt canis non differt ab æquiuoco, ergo complexum male distinguitur.

Resp.

In æquiuoco simplex dictio, in complexo oratio concipitur; sic quamuis re non differant, modo tamen differunt.

Opponens.

Res non sunt complexa, ergo nec voces, quia signa signatis adæquari debent: at voces sunt signa, res signata: ergo si res non sint complexa, voces non erunt.

Resp.

Defectio vocũ causa est quod non sit æqualis proportio: nam vt in ratione reddenda vnus calculus sæpe pro mille deponitur, ita frequenter vna vox multis rebus significandis accommodatur.

ARGVMENTA IN SECVNDAM diuisionem.

Opponens.

Oppugnatio secundæ diuisionis.

Ens rei est diuisum secundæ diuisionis; sed ens rei est æquiuocum (nam est in omnibus prædicamentis eodem modo) ergo hæc diuisio est etiam multiplex & æquiuoca.

Resp.

Ens rei tam accidenti quam substantiæ conuenit; primaria tamen eius significatio est substantiæ, quæ per se subsistit. si ergo pro primario significato sumatur (vt omne analogum sumi debet) erit vniuocum.

Opponens.

Quicquid dicitur de subiecto, inest in subiecto teste Philosopho 2 Topicorum; sed vniuersalis substantia, vt homo, dicitur de subiecto nempe de Platone ergo & inest.

Respondens.

Quicquid dicitur de subiecto, eodem modo inest quo dicitur; fatemur ergo secundas substantias inesse, non tamen simpliciter, vt accidentia quorum esse est inesse

Oppon.

Rodolphus ait hanc quæstionem (An homo sit animal) esse simplicis inhærentiæ: at nihil hic simpliciter inhæret, nisi animal quod est substantia, ergo substantia inhæret.

Respondens.

Nota.

In hac quæstione spectantur duo.
- *Res, vt animal, quod non inest.*
- *Modus cohærendi animalis cum homine, qui modus est accidens, & inhæret.*

Opponens.

Aliquis homo est indiuiduum, seu singularis substantia, sed aliquis homo dicitur de subiecto, nempe de Socrate, ergo singularis substantia dicitur de subiecto.

Resp.

Etsi indefinite sumptum hoc indiuiduum vagum prædicari videatur, definite tamen sumptum, cum rem vnam significet, vniuoce de subiectis non dicitur.

Oppon.

Calor est accidens abstractum a subiecto inhæsionis, ergo et non inest.

Resp.

Est abstractum non in reali separatione, sed in intentionali prædicatione; re enim calor cum igne coniungitur, prædicatione separatur.

Oppon.

Hoc præteritum tempus, & illud futurum tempus sunt singularia accidentia, sed non insunt: nã actu requiritur subiectum accidentis, quod vero est præteritum aut futurum, non est actu subiectum, ergo hæc duo non insunt.

Resp.

Vt hæ partes temporis sunt in successione, ita insunt successiue in subiecto, vel potius actu in primo mobili.

ARGVMENTA IN modos inessendi.

Oppon.

Oppon.

Genera speciebus, species generibus, partes toti, totum partibus in his modis inesse dicuntur: sed per definitionem inhæsionis inesse negantur, ergo aut otiose hi modi aut inconsiderate illa definitio inessendi traditur.

Oppugnatio modorum inessendi.

Resp.

In hisce modis nomen inhæsionis latissime sumitur, in definitione vero proprie.

Oppon.

Materia & forma se habent, vt potentia & actus; nam forma est actus, materia potentia quadam: sed actus & potentia sunt opposita, ergo & materia & forma sunt opposita: quo concesso, sequitur quod forma non insit in materia, quia oppositum opposito non inest.

Resp.

Sunt quodam modo opposita quoad modos essendi, vt aiunt, non tamen quoad modos existendi vel inessendi in composito.

Opponens.

Effectus & causa efficiens, vt domus & artifex realiter distinguuntur; sic etiam res & finis vt homo & beatitudo, ergo horum vnum in altero inesse non potest.

Resp.

Quanquam distinguuntur secundum essentiam, alterum tamen alteri inesse potest secundum virtutem vt causa possit producere effectum: sic domus inest in artifice, sic calor inest soli, quia artifex potest efficere domum, & quia sol potest efficere æstum.

Oppon.

Multa in loco, multa in tempore, multa in ordine partium vel situ dicuntur: ergo plures sunt constituendi modi.

Resp.

Hæc omnia reducuntur ad octauum modum, quia esse in loco vel tempore nihil aliud significat, quam extrinsecus mensurari.

CAP. III.

An duæ Regulæ bene tractentur.

DEfinitionem diuisionemque sequuntur regulæ; quarum altera est de cognatis, & inter se necessario cohærentibus; altera est de diuersis, vique naturæ inter se disiunctis ac separatis. Illa valet ad rerum (quæ sunt directe in prædicamento) ordinem intelligendum; hæc ad multiplicem naturam diuersorum prædicamentorum distinguendam. Nam vt multa in eadem categoria sunt societate naturæ coniuncta; ita omnia in diuersis prædicamentis, adeoque ipsa prædicamenta sunt re & natura disiunctissima.

Vsus regularum.

Prædicamenta natura differunt.

Prima regula sic est; Cum alterum de altero, vt de subiecto dicitur; Quicquid de prædicato primæ propositionis directe affirmatur, illud ipsum de primo subiecto etiam dicitur: vt si hanc propositionem texas; Plato est homo, Quicquid de homine qui est prædicatum huius propositionis enũciatur, vt animal, vt corpus, vt substantia; de Platone qui est subiectum eiusdem propositionis efferetur. Potest hæc Regula diffundi etiam ad accidentia, vt patebit in distinctione postea.

Primæ regulæ sensus.

Secunda regula sic se habet, Diuersorum generum, non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ. Per diuersa genera intelligo, vel diuersa prædicamenta, vt sunt substantia & qualitas; vel diuersa genera in diuersis prædicamentis, vt sunt animal in substantia,

Secundæ regulæ sensus. Triplex interpretatio regulæ.

ſcientia in qualitate; vel denique diuerſa genera ſub eodem prædicamento, vt ſunt animal & planta, corpus & ſpiritus in ſubſtantia. Horum omnium diuerſæ ſunt ſpecies, diuerſæ ſunt differentiæ, diuerſæ naturæ. exempli cauſa, Species ſubſtantiæ ſunt, corpus, ſpiritus; ſpecies qualitatis habitus & naturalis potentia; ſpecies animalis homo & bellua; ſpecies ſcientiæ Grammatica, Rhetorica. Si vrgeas ſcientiam & animal habere eandem differentiam, nempe rationale: Reſpondeo idem Rationale eſſe nomine in vtroque non re; nam ratio in ſcientia dirigit, in homine autem diſcutit & conſultat.

Rationale duplex.

Cautiones in prima regula obſeruandæ ſunt,

1. Vt non ſit a rebus ad voces progreſſio: quare non ſequitur, Plato eſt homo, homo eſt ſpecies: ergo Plato eſt ſpecies.
2. Vt non ſit a ſenſu diuiſo ad male coniunctum disputatio: quare non ſequitur: Homo eſt animal, animal eſt rationale & irrationale: ergo & homo eſt rationalis & irrationalis.
3. Vt non ſit ab vno latere prædicamenti ad alterum tranſitio, hinc non ſequitur: Plato eſt rationalis, rationale eſt re idem cum anima rationali, anima rationalis eſt incorporea, ergo Plato eſt incorporeus.
4. Vt non ſit a concreto ad abſtractum tranſlatio, vnde non ſequitur: Plato eſt iuſtus, iuſtum eſt qualitas: ergo Plato eſt qualitas.
5. Vt non ſit ſuppoſitionis mutatio vel æquiuocatio, vnde non ſequitur, Actæonis canis eſt canis, Canis eſt ſidus cæleſte: ergo Actæonis canis eſt ſidus cæleſte.
6. Vt affirmatiua ſit prima propoſitio, ſecunda vniuerſalis, cuius defectu non ſequitur: Plato non eſt leo, leo eſt animal: ergo Plato non eſt animal.

DISTINCTIO SECVNDÆ. Regulæ.

In ſecunda regula ſpectantur duo.


Vſus, vt per illam cognoſcamus prædicamenta omnia eſſe diſiunctas naturas. quod inſinuatur per diuerſas differentias, quæ ſemper diuerſas naturas rerum pariunt.

Interpretatio quæ eſt triplex, vt per diuerſa genera intelligamus

1. Vel diuerſa prædicamenta, quæ diuiduntur diuerſis differentiis.
2. Vel diuerſa genera ſub diuerſis prædicamentis, quæ & conſtituuntur, & diuiduntur variis differentiis.
3. Vel diuerſa genera non ſubalternatim poſita ſub eodem prædicamento vt ſunt animal, planta, quæ quoque diuerſas differentias diuidentes, & proxime conſtituentes diuerſas habent.

DISTINCTIO DECEM PRÆDICAMENTORUM.

Omne



ARGVMENTA CONTRA I. REGVLAM.

Opponens.

In hac regula est necessaria consecutio: ergo est pars inuentionis.

Resp.

Hic ordinem rerum, illic conclusionem: hic vim prædicandi, illic necessitatem consequendi respicimus.

Oppon.

Hoc genus est genus, genus est vniuersale: ergo hoc genus est vniuersale: in his propositionibus obseruantur cautiones regulæ, & tamen non sequitur conclusio, quia hoc genus est indiuiduum, non vniuersale.

Resp.

Aliud est dicere, hoc genus, aliud est dicere, hoc animal: nam hoc animal est res singularis: hoc genus est vniuersale: quippe cum loquamur de substantia, quæ est summum genus, recte dicere possumus, hoc genus, nimirum substantia differt ab illo, nempe quantitate.

Oppon.

Non sequitur, vbi simplex est vbi: vbi est circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens: ergo vbi simplex est circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens: idem arguitur de quando simplici.

Resp.

Postrema illa sex prædicamenta a notiore definiuntur, vt vbi compositum, quando compositum: non simplex.

ARGVMENTA CONTRA IIª REGVLAM.

Opponens.

Vegetabile est differentia plantæ, & tamen dicitur de animali, quod est genus ei oppositum: ergo diuersa genera nõ subalternatim posita habent eandẽ differentiã.

Resp.

Vegetabile non est proxima differentia plantæ, quæ distinguitur ab animali, sed insensibile secundum Dialecticos.

Oppon.

Anima vegetatrix est proxima forma plantæ secundum Philosophos: ergo vegetabile est proxima differentia plantæ secundum Dialecticos. Antecedens probatur,

Forma physica est actus differentia dialectica est potentia.

quia tres animæ tres formæ sunt, vigens plantæ, sentiens belluæ, ratiocinans hominis. Argumentum tenet, quia vt anima ipsa est forma physica, ita semper potentia eiusdem animæ est forma Dialectica.

Resp.

Etsi anima vigens sit forma physica: tamen ea forma non est in bellua. Nam vna anima est in illa nempe sentiens: altera autem est tantum potentia iuxta Philosophorum sententiam.

Oppon.

Si vera sit hæc regula, prædicamenta accidentium de substantia non dicerentur. Nam per hanc regulam re & natura per diuersas differentias a substantia distinguuntur: sed hoc est absurdum concedere: ergo regula fallax & otiosa esse videtur.

Resp.

Accidentia re quidem distinguuntur a substantia, prædicantur tamen non propter necessitatem subiecti (quod illis non caret) sed propter necessitatem sui, quia sine subiecto concidunt necessario. Præterea in substantia considerantur essentia & existentia: omnia accidentia sunt re disiuncta ab illa in essentia, coniuncta tamen in existentia.

Oppon.

Prudentia est species scientiæ & virtutis: at scientia & virtus sunt genera non subalternatim posita: ergo genera non subalternatim posita habent eandem speciem.

Resp.

Quamuis Albertus scientiam & virutem diuersa genera esse affirmet, quoad distinctionem virtutum moralium & intellectualium, non tamen id dicit quoad prædicationem Dialecticam: nam virtus de scientia, vt superius de inferiore prædicatur.

ARGVMENTA IN DISTINCTIONEM decem prædicamentorum.

Oppugnatio distinctionis prædicamentorum.

Oppon.

Vnum est prædicamentum substantiæ, ergo vnum est accidentium. Ratio sequitur loco topico, quia quot modis vnum oppositorum dicitur, tot modis & alterum.

Resp.

Locus ille proprie de aduersis intelligitur: at accidens & substãtia sunt disparata

Oppon.

Respectiuum prædicamentum dicitur a respiciendo absolutum: sed nouem illa genera accidentium respiciunt substantiam: ergo inter nouem illa frustra quantitas & qualitas nominantur absoluta.

Resp.

Respectu substantiæ quidem omnia prædicamenta sunt respectiua, quippe est basis & fundamentum omnium: Cæterum respectu quorundam effectorum, quæ ab illis procedunt & patiuntur, absoluta ex parte appellari solent.

Finis Antepraedicamentorum.

CAP. XIV.

Vtrum substantia recte definiatur & diuidatur.

Ratio ordinis.

SI reliqua prædicamenta ad substantiam, vt lineæ multæ ad vnum centrum, vt partes ædificij ad vnum fundamentum reuocantur; si absque ope substantiæ interitum naufragiumque sui sentiant omnino & patiantur; si denique a substantia, vt rami a radice, vt riui a fonte dimanent & deriuentur: nemo potest iure ordinem (quo vsus est Aristoteles reprehendere.) Cæterum nouem illa capita rerum a substantia, ita substantiam intuentur, vt hac conuulsa cadant, vt hac tuta & illæsa, consequentur:

uentur: ei enim soli incumbunt, inhærent ac nituntur: quippe eorum esse, vt aiunt, est rei soli inesse & inhærere. Cum constet de ordine, reliquum est de partitione substantiæ, in primam & secundam pauca dicamus. Non res hoc loco, vt multi volunt, sed vox & nomen substantiæ analogice diuiditur: Quasi diceres: substantiarum alia est prima, alia secunda; id est, eorum quæ substant accidentibus, aliud est quod proxime & primum subiicitur, vt Plato: aliud est quod remote subest, vt homo. Primum enim accidentia in res singulas, deinceps quasi per gradus in res vniuersas cadunt, sed ita cadunt vt hæ illis: hoc est, res vniuersæ rebus singulis alligatæ & astrictæ conueniant. Hinc est, quod dicat Aristoteles, sublatis primis naturis, nihil loci relinqui cæteris omnibus, id est, nec substantijs secundis, nec accidentibus: non illis, quia non sunt, si cum rebus singulis non cohæreant: non his, quia eorum vis & natura tantum a substantia dependet. At dices, inferioribus sublatis, non tolli superiora: quia hæc tollunt, sed non tolluntur, vt ait Porphyrius in communitatibus. Respondeo, omnia indiuidua simul sumpta non esse inferiora, sed paria; quare, si affirmemus, conuulsis inferioribus coniunctim sumptis, tolli omnino superiora, non est absurdum. Diuisionem istam substantiæ sequuntur membrorum definitiones. Prima substantia est res singularis in vltimo naturæ actu posita & completa, quæ primum proprie & maxime subiicitur, quæque nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest, vt Plato. Secunda substantia est res vniuersalis per se subsistens, sub cuius amplexu primæ substantiæ cõtinentur, vt homo.

Vtrum res an vox diuidatur.

Interitus rerũ vniuersarũ sequitur interitum rerum singularum collectim sumptarum.

Obiectio.

Solutio.

Prima substantia quid.

Secunda substantia quid.

Prima substantia primum respectu infimæ speciei, proprie respectu quantitatis, maxime respectu omnium accidentium (quorum est capax) subesse dicitur.

Secundæ substantiæ, vt genera, species & differentiæ, de primis essentialiter secundum nomen & definitionem prædicantur: sic animal, vt genus; sic rationale, vt differentia: sic homo, vt species de Platone affirmatur. Hinc emergit facile discrimen inter vniuersalia accidentia, & secundas substantias, quod illa in abstracto nec nomine nec ratione de primis substantiis efferantur. in concreto autem (etsi nomine quidem) ratione tamen essentiali nunquam dicuntur, vt calor de igne, splendor de cælo: neque secundum nomen, neque secundum rationem prædicantur. Calidum autem & splendidum dicuntur quidem secundum nomen, at secundum definitionem enunciari non possunt, vt vniuersales substantię quibuscum hic conferuntur.

Prædicatio secunda substantia.

Præcedit substantia reliqua, quia est:
- Illorum materia, non ex qua constant (talem enim non habent) sed in qua continentur.
- Illorum quasi forma, per quam, teste Philosopho primo demonstrationis, definiuntur & distinguuntur accidentia.
- Illorum efficiens causa, a qua fluunt & oriuntur omnia.
- Illorum finis, propter quem fiunt, & in quo ipsa conseruantur. Sic in omni genere causæ diuerso respectu præcedit omnia accidentia.

- 1. Substando, quod subesse vel esse subiectum significat, & sic in primam & secundam diuiditur.
- 2. Existendo, quod est in rerum natura eminere actu, remque singularem fieri.

Dicitur substantia a
3. Essendo, quod est, constantem & immutabilem naturam habere.
4. Subsistendo, quod est sine vlla ope accidentium vi sua cohærere, vnde substantia definitur ens, per se subsistēs, neutiquam indigens, vt sit.

Substantia triplex.
Re tantum, vt differentia essentialis.
Modo tantum, vt genera & species in prædicamentis accidentium, quæ habent modum substantiæ, cum tamen non sint: iuxta illud, vnumquodque est quid in suo genere.
Re & modo, vt genera & species in recta linea substantiæ: lineæ vero substantiæ sunt duæ.

Incorporea	Substantia	Corporea.
Spiritus.		*Corpus.*
Angelus.		*Corpus animatum.*
Anima.		*Animal.*
Anima rationalis.		*Homo.*
Anima Platonis.		*Plato.*

Argumenta.

Opponens.

Oppugnatio ordinis.

Accidentia nec materiam, nec formam habent: ergo substantia ob has causas non præcedit.

Resp.

Non habent materiam ex qua constant, habent tamen in qua sunt: similiter veram & germanam formam non habent, per suum tamen subiectum distinguuntur, quod munus est differentiæ.

Oppon.

Oppon.

Causæ confundi non possunt in vno, teste Philosopho 2. Physicorum: ergo substantia non est omnis causa.

Resp.

Verum est eodem respectu.

Oppon.

Omnia prædicamenta sunt prima principia rerum, sed nihil prima principia præcedit: ergo substantia reliqua non præcedit.

Resp.

Sunt prima principia in suo ordine, at aliquid prius esse potest in alio, & sic est substantia efficiens causa omnium.

Oppon.

Per actionem generantis, quæ est accidens, sæpe fit substantia, vt Socrates: ergo aliquod accidens est prius substantia.

Resp.

A simpliciter ad secundum quid non sequitur ratio, vel concedendum est aliquod accidens esse prius aliqua substantia tempore, non natura, non causa.

ARGVMENTA IN SIGNIFICATIONEM & diuisionem substantiæ.

Oppon.

Solum subsistit Deus, teste Philosopho 12. Metaphysicorum: ergo substantia a subsistendo non dicitur. Subsistere enim est omnino, & simpliciter per se cohærere, sed sic solus Deus, qui est incommutabilis, subsistit. Oppugnatio significationis.

Resp.

Deus solum subsistit absolute, substantia autem respectu accidentium per se subsistere dicitur.

Oppon.

A substando dicta substantia est multiplex: sed nullum multiplex est in prædicamento: ergo a substando non dicitur.

Resp.

A substando dicta substantia distinguitur analogice, non diuiditur proprie.

Oppon.

Existere spectat ad res singulares: sed series cuiusq; prædicamenti, teste Porphyrio, clauditur & terminatur infimis speciebus, non indiuiduis: ergo frustra distinguitur substantia ab existendo. Porph. cap. de specie.

Resp.

Series prædicamenti est duplex { *Formalis, quæ ima specie:* / *Materialis, quæ indiuiduo clauditur.* } Prædicamenti series duplex.

Opponens.

Materia prima, forma prima, dicuntur substantiæ, primo Physicorum: sed neque primæ, neque secundæ sunt. ergo male diuiditur substantia.

Resp.

Sunt substantiæ Physice, non Dialectice: reducuntur tamen vt causa ad effecta.

Opponens.

Pars non est totum, sed substantia est pars huius prædicamenti, cum sit summum genus: ergo recte substantia prædicamentum non dicitur.

Resp

Accipitur nomen substantiæ vel pro summo genere, & sic est pars: vel pro tota serie aggregata, & sic totius prædicamenti nomen vendicat.

Oppon.

Superficies, quæ est quantitas, prius substat colori, quam paries: ergo substantia non primum subjicitur.

Resp.

Subiectum est duplex. { *Quo, id est quo interiecto materialia accidentia suscipiuntur in substantiam & hoc est quantitas.* / *Quod, id est, in quod per se suscipiuntur, & hoc est substātia.*

CAP. XV.

An sex proprietates substantiæ recte assignentur.

Cur proprietates rebus attexuntur. CVM summa genera nec vere definiri, nec recte describi possint: tamen per communitates propriasque affectiones vtcunque a Philosopho delineantur. Auctore enim Boetio: si res a prioribus per causas demóstrari non possint, a posterioribus per effecta semper explicari debent. Hinc est quod Aristoteles in calce cuiusque prædicamenti propria quædam attexuerit: vt ex illis, summorum generum (quæ sunt a sensibus remotissima) vires & naturæ accuratius collimentur.

Proprietates 6. Prima. Substantiæ proprietates assignantur sex, quarum prima est, vt non insit subiecto. Ratio est, quia ipsa substantia est subiectum, at subiectum subiecto inesse non potest.

Secunda. Secunda est, vt omnis vniuersalis substantia de prima vniuoce & essentialiter dicatur. Hinc tam propria quam accidentia excluduntur: nam etsi & illa quidem vniuoce prædicentur, non tamen essentialiter, vt secundæ substantiæ.

3 Tertia est, vt substantia significet hoc aliquid; id est, rem singularem, completam, adeoque perfecte existentem in rerum natura. Hinc secundæ substātiæ sub appellationis figura, id est, sub communis nominis significatione hoc aliquid significare dicuntur.

4 Quarta est, vt non suscipiat contraria aduersa, id est, vt vna substantia nó sit aduersa alteri, nam aduersa sunt accidentia, quæ agendo & patiendo se mutuo expellunt ex eodem subiecto capaci vtriusque, nisi vnum insit a natura, vt calor igni: at substantiæ non sunt accidentia, nec possunt permisceri in vno subiecto, cum sint subiecta omnium: ergo non suscipiunt contraria.

5 Quinta est, vt non suscipiat magis & minus ab essendo vel subsistendo, vt aiunt: ab existendo autem & substand[o] [s]uscipit. Nam Plato magis existit, magis substat quam homo, non tamen magis est, nec magis subsistit.

6 Sexta & postrema proprietas est, vt omnis substantia, vna eademque constans numero, capax [si]t contrariorum: hoc est, vt sit subiectum pugnantium qualitatum: sic Plato, nunc frigidus, nunc calidus, nunc bonus, nunc malus esse potest.

Obiectio. Oratio & opinio videtur esse veræ & falsæ quæ nó sunt substantiæ.

Solutio. Videntur quidem & sunt vt signa, non vt subiecta: nam a rebus in oratione & opinione intellectis, veritas & falsitas dependent, necnon in illis sunt, vt in germanis subiectis: res enim sunt veræ vel falsæ, oratio & opinio ita esse vel non esse significant.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA primæ communitatis.

Distinctio primæ communitatis. { Contradictorie, & sic negatio substantiam inesse non negat, sed tantum respectu accidentium.

Priua-

Non inesse in subiecto accipitur vel { Priuatiue, & sic est proprium secundo modo: conuenit enim omni, non soli, quia principijs, partibus, & transcendentibus etiam competit, quæ per se & vi sua non sunt absolutæ substantiæ.

Ratio cur nõ insit substantia est triplex { Quia est subiectum, at subiectum subiecto non inest. Quia est pars, at nulla pars inest. Quia solum accidens inesse dicitur vt patet in secunda diuisione.

Oppon.

Non ens non potest esse proprium substantiæ (quæ est ens perfectissimum) sed non inesse in subiecto est non ens: ergo non est substantiæ proprium. Maior patet quia id quod non est, non potest esse proprium: minor probatur a loco contradicentium quia esse in subiecto est ens: ergo non inesse est non ens.

Oppugnatio primæ communitatis.

Resp.

Negatio ista nec esse rem nec omnino inesse negat; est enim ista negatio mixta, id est, partim negans, partim affirmans: negat enim substantiam inesse vt accidens: non negat esse omnino, quod faceret, si esset contradictoria.

Opponens.

In diuisione secunda antepredicamentali & in distributione substantiæ antea explicata, satis discussa est hæc communitas: ergo otiosa est ista repetitio.

Respondens.

In secunda diuisione distinctio prædicationis ab inhæsione, in distributione substantiæ ratio definitionis, in hoc loco modus propriæ passionis spectatur, diuerso ergo respectu ter eiusdem rei fit repetitio.

Oppon.

Non inesse in subiecto est quiddam complexum: ergo rei simplicis non est proprium; argumentum est Philosophi 5 Topicorum.

Resp.

Agit illic solum de germanis proprijs specierum infimarum, quæ sunt simplicia

DISTINCTIO ET ARGVMENTA secundæ Communitatis.

Prædicatio vniuoca duplex. { Essentialis, & hæc soli secundæ substantiæ conuenit. Communis, & hæc etiam accidentibus & proprijs accommodatur. Conuenit hoc proprium primo modo, soli, non omni, quia primæ substantiæ non competit.

Distinctio secundæ communitatis.

Oppon.

Dicit Philosophus in textu; Hoc proprium non solum substantiis, sed etiam differentiis conuenire: ergo insinuat, vel differentias non esse substantias, vel soli substantiæ non conuenire.

Oppugnatio secundæ communitatis.

Resp.

Substantia Triplex { *Re tantum, & sic differentiæ sunt substantiæ. Modo, & sic accidentia in suis prædicamentis. Re & modo, & sic hoc loco differentiæ substantiæ esse negantur*

Opponens.

Differentiæ & summa genera definitiones non habent: ergo vniuoce essentialiter non prædicantur.

Resp.

Etsi nõ habẽt definitiones proprias, habẽt tamẽ essentiales cõceptus, quod est satis

Oppon.

Voces prædicantur, sed substantiæ secundæ non sunt voces: ergo secundæ substantiæ vniuoce de primis non dicuntur.

Resp.

Voces vt signa dicuntur. res vero vt signa & subiecta vocum essentialiter prædicantur: res enim per voces de rebus efferuntur.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA tertiæ Communitatis.

Distinctio tertia communitatis.

In tertia proprietate considerantur
- Modus conueniendi, vt sit per se primo modo proprium.
- Interpretatio, vt soli primæ substantiæ per se; secundæ vero sub appellationis figura conueniat, vt supra.
- Conditio triplex.
  - Prima, vt sit substantia: hinc accidens excluditur.
  - Secunda, vt sit substantia singularis, hinc vniuersalis proprie non significat sed confuse.
  - Tertia, vt sit completa in vltimo actu naturæ. Hinc inchoata, vt fœtus in vtero, ouũ sub gallina, semen in terra excluduntur: quia incertum adhuc est, quid significent: vltimam enim adhuc formam non receperunt.

Opponens.

Plato, omnisque prima substantia est hoc aliquid, ergo non significat.

Resp.

Pro re accepta prima substãtia est hoc aliquid, sub ratione tamẽ nominis significat

Oppon.

Anima Socratis est singularis substantia, at non significat hoc aliquid (quia non est in vltimo actu naturæ) ergo omni primæ substantiæ non conuenit significare hoc aliquid.

Resp.

Anima Socratis, omnisque spiritus singularis, vt Michael, Gabriel, sunt in vltimo actu subsistendi; & proinde hoc aliquid significant, nam quamuis non sunt in vltimo actu naturæ Physicæ, sunt tamen in vltimo actu naturæ, vt aiunt, naturantis.

Oppon.

Anima Socratis est pars, sed pars non est completa: ergo anima Socratis non significat hoc aliquid.

Resp.

Anima Socratis consideratur, vel
- *Vt informat corpus Socratis, & sic est pars, & non significat.*
- *Vt est species spiritus, & sic est completa & significat.*

Oppon.

Nullam mentionem facit incorporearum substantiarum Aristoteles in hoc prædicamento: ergo de illis hæc proprie intelligi noluit.

Resp.

Argumentum ab auctoritate negatiue non valet: præterea etsi hic mentionem nõ facit, dicit tamen in libro tertio de Animo, animam esse incorpoream substantiam esse æternam, non sub corpore, ergo etiam aliam lineam, seriemque substantiæ intellexit sub qua spiritus (de quibus sæpissime agit) continenatur: nam aliter toties Deum, intelligentiasque in Metaphysicis incorporeas substantias non appellasset, si illas omnino ab hoc ordine rerum excludi voluisset. *Cap 5. 12. lib. Meta.*

DISTINCTIONES ET ARGVMENTA quartæ & quintæ Proprietatum.

In quarta

In quarta proprietate considerantur

- Modus, qui est secundus proprii, conuenit enim omni substantiæ non suscipere contrarium, non conuenit soli, quia etiam & quantitati conuenit.
- Ratio, ex
  - Parte subiecti, quia subiectum subiecto non est contrarium.
  - Parte contrarii, quod natum est vicissim inesse in eodem subiecto, quod nulli substantiæ conuenit.
- Distinctio, quod aliquid sit, contrarium,
  - Obiectiue, id est, vt vnum alteri sit contrarium, vt calor frigori, & sic substantia non suscipit.
  - Subiectiue, id est, vt successiue contraria inhęreant, vt album & nigrum in pariete, & sic substantia suscipit contrarium.

Distinctio quartæ proprietatis.

In quinta proprietate spectantur

- Modus, vt conueniat omni, non soli.
- Ratio quę est a
  - Negatione causæ, nam susceptio contrarii negatur, quæ est causa, ergo negatur susceptio magis & minus, quæ est effectus.
  - Definitione, nam susceptio magis & minus est contrariorum permistio in eodem subiecto, at ita substantiæ non permiscentur.
- Distinctio, quod aliquid suscipiat magis & minus.
  - Subiectiue, & sic vna substantia est magis substantia quam alia a substando, vt Plato magis quam homo substat.
  - Perfectiue, & sic vna substantia est magis quam alia, vt homo quam bellua.
  - Dimensiue, & sic etiam vna substantia est magis substantia; id est, maior quam alia, vt vir quam puer.
  - Intensiue abessendo vel subsistendo, vt aiunt & sic vna non est magis substantia, quam alia, & hoc modo intelligitur proprium.

Distinctio quintæ proprietatis.

Oppon.

Vltima proprietas requirit, vt substantia suscipiat contraria: ergo quarta male negat.

Oppugnatio quartæ proprietatis.

Resp.

Vltima requirit, vt sit subiectum contrariorum, quarta negat esse obiectum ipsumque contrarium.

Opponens.

Primo libro Physicorum dicit Philosophus, esse contrarietatem in quouis genere: in secundo de Ortu & Interitu, & quarto de Cælo dicit, Elementa esse contraria libro de longitudine & breuitate Vitæ affirmat, corruptibile corrumpi a contrario: sed substantia est genus, & elementa sunt substantiæ, resque in substantia corrumpuntur; ergo est contrarietas in substantia.

Resp.

Ad primam partem argumenti respondetur, quod per contrarietatem in quouis genere intelligat Philosophus, repugnantiam differentiarum, quæ sunt disparatæ non aduersæ Ad secundam respondetur, quod elementa sint contraria per accidens, id est, per suas qualitates, non per se. Ad tertiam respondetur, quod per contrarium, quo aliquid corrumpitur, priuationem formæ intelligat.

Oppon.

Qualitates elementorum sunt contrariæ, ergo & ipsa elementa, quia contrarietas effectuum arguit contrarietatem causarum, secundo Topic.

Resp.

Contrarietas effectuum arguit contrarietatem causarum effectiue; non quod ipsæ causæ sint contrariæ, sed quod possint istiusmodi effecta contraria producere; nec est absurdum si dicas causam id posse producere quod non habet nisi virtute, vt aiunt, sic enim sol efficit calorem, & tamen non est calidus: & sic elementa pariunt contrarietatem, cum tamen in subsistentia sua non sint contraria.

CONTRA QVINTAM.

Oppugnatio quinta.

Oppon.

Secundo de Ortu, ignis magis substantia dicitur quam terra; ergo substantia suscipit magis & minus: in hoc etiam capite, dicit, vnam esse magis substantiam quã aliam.

Resp.

Ignis dicitur magis substantia quam terra, id est perfectior: sic homo est perfectior bellua, sic spiritus ipso homine; ad alteram partem argumenti respondeo, vnam substantiam esse magis quam aliam a substando non a subsistendo.

Oppon.

Deus vt habetur primo de Cælo & 11. Metaphysicorum, maxime omnium subsistit, quia nullum accidens (quod arguit imperfectionem) inest Deo: & quia nulla alia substãtia omnino indiget vt subsistat. Hoc posito sic arguo: Quæcunque propius accedunt ad illud quod maxime subsistit, magis subsistunt quam quæ magis recedunt ab illo: sed spiritus omnesque incorporeæ substantiæ magis accedunt ad illud (quod maxime subsistit) nempe ad diuinam naturam, quam corpora, vt truncus, vt lapis; ergo sunt quædam substantiæ quæ a subsistendo suscipiunt magis & minus.

Resp.

Solus Deus vi sua subsistit, a quo omnia suum esse habent; substantiæ vero per se subsistere dicuntur comparatione accidentium, quæ esse non possunt si non insint. Quare de argumento sic sentio, Metaphysicas substantias, vt sunt spiritus magis subsistere, quia propius accedunt ad naturam diuinam. Hic tamen fit comparatio substantiarum more Dialectico; & sic vna non est magis substantia quam alia quia omnes æqualiter subsistunt, & sunt respectu accidentium, quæ nec sunt nec subsistunt, nisi per substantias. Verumtamen si corpus cum spiritu, spiritus finitus cum Deo (qui est infinitus) comparetur, magis subsistere Deum quam spiritum, magis subsistere spiritum, quam corpus existimo: nã Deus nullo modo ente indiget, vt sit, Spiritus minus indiget quam corpus.

Oppon.

Elementorum formæ sunt tantum retusæ, & non extinctæ in mixto: sed retundi formas nihil aliud est, quam remitti, minusque suscipere, ergo substantiæ, nempe elementorum formæ suscipiunt magis & minus. Maior probatur ex primo de Ortu, vbi vult Philosophus sic manere formas elementorum in mixto, vt iterum redeant ad suas naturas quod fieri non possit si penitus extinguerentur.

Resp.

Formæ elementorum, non manent, sed penitus extinguuntur: nam generatio mixti est corruptio elementi; at corrumpi elementum non posset, si forma maneret. Respondeo tamen ad argumentum manere in materia mixti potentiam quandam ad formã elementi, vt est in radice Plantæ (hyemis procella concussæ) ad florem fructumque in æstate.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA sextæ Proprietatis.

Substan

Substantia capax contrariorum esse probatur a	Firmitate subiecti, quod est basis omnium accidentium, & proinde contrariorum.
	Infirmitate accidentium, quorum esse est inesse.
	Definitione contrarij, quæ est vt vicissim succedat contrarium contrario in eodem subiecto.

Distinctio sextæ proprietatis.

Oppon.

Oppugnatio sexta.

Vnum numero est solum indiuiduum, sed secunda substantia non est indiuiduum: ergo secundæ substantiæ non conuenit hoc proprium, nam requiritur vt sit vnum numero.

Resp.

Secunda substantia consideratur vel	*In potentia confuse, & sic non est eadem numero.*
	In actu contracte & sic est eadem numero.

Oppon.

Cælo (quod non est capax vllius externæ impressionis vel affectionis, teste Aristotele tertio de anima) igni multisque aliis, quibus innata est vna qualitas, non conuenit hoc proprium: ergo non est proprium quarto modo.

Resp.

Respondet Philosophus, cælum, ignem, cæteraque omnia suscipere ex parte materiæ, non ex parte formæ. Respondent quidam interpretes excipi illas substantias, quibus vna qualitas inest a natura, vt calor igni. Postremo, alij dicunt cælum suscipere raritatem & densitatem, ignem sursum & deorsum ferri: quæ opinio non vehementer placet. Secunda responsio maxime probatur.

Opponens.

Differentiæ sunt substantiæ, at non suscipiunt contraria: ergo omni substantiæ non conuenit.

Resp.

Proprium hoc datur de substantiis secundum rem & modum in recta linea contentis: differentiæ vero suscipiunt per species quas constituunt.

Oppon.

Superficies, quæ est quantitas, nunc alba nunc nigra existit, vna tamen numero, est constans sub vtraque qualitate: ergo non soli substantiæ conuenit.

Resp.

Superficies seu quantitas suscipit, vt subiectum, quo: non vt subiectum, quod: id est, suscipit ope substantiæ cui inhæret: non per se, vt subsistit.

Opponens.

Materia prima est capax omnium formarum, ergo contrariorum: sed materia prima non est substantia: ergo soli substantiæ non conuenit hoc proprium.

Resp.

Materia prima capax omnium dicitur, non actu sed potentia: est enim expers omnis formæ: aptitudinem tamen habet in constitutione rerum ad omnem formam: at substantia hic intellecta vna actu & numero constans, susceptibilis est contrariorum.

Finis Substantiæ.

DE QVANTITATE.

CAP. XVI.

Vtrum quantitas recte definiatur ac diuidatur.

De quantitate, quidam ex priscis Interpretibus Aristotelis, tam abstruse scriptitarunt, vt in biuio quasi vacillantes, iam multi eam (in qua est pondus, & mensura rerum omnium) nullius ponderis & mo-

Interpretum explicatio ...uales

menti esse opinentur. Quare de illa acturi, suo officio se functos egregie existimant, si vel omnino tacuisse (de re tanta insinuando multa) vel docuisse pauca (de re tam parua demonstrando nulla) videantur. Nos vero; nec illorum obscuram diligentiam, nec horum incuriam & negligentiam sequuti, media veluti insistemus via, referantes multa, quæ necessitatem: resecantes omnia, quæ vanitatem habent. Succedit ergo quantitas substantiæ ordine naturæ: nam quamuis qualitas ordine dignitatis excellit; quippe quæ imitatur formam, necessitatis tamen ordine quantitas est anteponenda. Nam per quantitatem (vt homines per vestibulum in domū) omnia prope modum accidentia recipiuntur in substantiam, in qua, vt in vltimo subiecto conseruantur.

Ordo quantitatis.

Significatio quantitatis est Mathematica vt linea in mente ficta; Physica, vt figura in re constituta; Dialectica, quæ partim in re, quoad constitutionem partim in voce quoad prædicationem consistit.

Significatio.

Dialectica Quantitas est mensura proxime inhærens materiæ, ratione cuius inhærentis subiectum denominatur quantum; diuiditurque in partes integrales tam homogeneas quam heterogeneas. Partes homogeneæ sunt similares, quæ idem nomen cum suo toto sortiuntur, vt quæuis aquæ guttula, aqua: quæuis terræ glebula, terra dicitur. Heterogeneæ sunt dissimilares, quæ diuersis nominibus a toto distinguuntur, vt manus, caput, & oculus, &c.

Dialectica quantitas.

Ita definita quantitas, vt genus in suas species diuiditur; nimirum, in continuam & discretam. Continua est mensura, cuius partes coaptantur ad terminum communem, qui est initium vnius partis, & finis alterius: sic lineæ partes ad punctum: sic superficiei partes ad lineam copulantur.

Diuisio quātitatis.

Discreta quantitas est, cuius partes nullo termino communi connectuntur, vt partes numeri, quæ sunt vnitates, partes orationis quæ sunt literæ ac syllabæ.

Disiuncta quantitas.

Coniunctæ quantitatis quinque enumerantur species; linea, superficies, corpus, locus, tempus.

Coniuncta quantitas.

Distinctæ quantitatis duæ tantum recensentur, Numerus, & Oratio. De his & illis plura videre licet in subsequenti tabula distinctionum.

DISTINCTIO ORDINIS.

Ratio ordinis

Quantitas proximæ sequitur substantiam prop { Mentionem quarundam quantitatum in quarta proprietate substantiæ, nempe magni, parui, multi, pauci.
Proportionem subiecti: nam vt substantia est subiectum, quod ita quantitas est subiectum, quo.
Similitudinem proprii: nam vt substantia non suscipit contraria, nec magis & minus, ita nec quantitas. }

DISTINCTIO SIGNIFICATIONIS.

Quantitatis distinctio.

{ Mathematica, quæ est mensura separata. vt circuli ficti ab Astrologis; figuræ excogitatæ a Geometris docendi gratia. Physica, quæ est res mensurata.

Quantitas est { Dialectica quæ est realis mensura rerum, non Mathematica, vt aliqui somniat. Non esse { 1. Quia omne accidens realiter inhærere debet: sed quantitas est accidens.
2. Quia alia realia accidentia ingrediuntur substantiam, per quantitatem, vt colores.
3. Quia omne predicamentum ens reale esse debet. }

autem

autem Mathematicam hæ Rationes suadent. { 4. Quia est commune obiectum sensuum & est in subiecto sensibili, quæ omnia non essent si quantitas sola Mathematica hic a Philosopho intelligeretur.

Opponens.

Cognoscimus essentiam substantiarum per accidentia, teste Philosopho primo de animo, cap. 1. ergo potius substantia sequeretur quantitatem. Oppugnatio.

Resp.

Ordo disciplinæ illic intelligitur, hic ordo naturæ obseruatur.

Oppon.

Lineæ partes copulantur ad punctum, quod est indiuisibile, & Mathematicum temporis itidem partes copulantur ad momentum, quod etiam est indiuisibile: ergo quantitas Mathematica hic intelligitur.

Resp.

Etsi punctum respectu longitudinis, & momentum respectu durationis sint indiuisibilia, non tamen omnino sunt Mathematica, & in mente defixa: est enim momentum ens, est etiam punctum ens reale, quamuis incompletum, sic enim principium materiale dicitur.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA DE speciebus continuæ quantitatis.

Omnis quantitas continua est mensura, vel
- Extensionis
  - Intrinsecæ, vel
    - Secundum longitudinem solam, vt linea.
    - Secundum longitudinem & latitudinem, vt superficies.
    - Secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem, vt corpus.
  - Extrinsecæ, sic est locus, qui adiacet, corpori locato non inhæret.
- Durationis, sic est tempus quod est edax rerum.

DE LINEA.

Linea est
- Mathematica, de qua non agitur.
- Dialectica, quæ est sola longitudo, cuius partes copulantur ad punctum, cuiusque extrema clauduntur duobus punctis, ne in infinitum extendatur.

Oppon.

Nusquam est sola longitudo sine latitudine & profunditate: ergo nusquã est linea Oppugnatio continuæ quantitatis.

Resp.

Hæc vox, sola, in definitione Lineæ non negat latitudinem & profunditatem simul esse cum linea: sed negat hæc esse de essentia lineæ.

Oppon.

Non est aliquod adæquatum subiectũ & solum longum: ergo non est sola longitudo.

Resp.

Fateor nullum esse subiectum, solum longum, longitudo tamen sola demonstrari potest in ipso corpore, quod est satis.

Oppon.

Omne continuum secatur, teste Philosopho in 4. Physicorum, semper in partes diuisibiles: sed linea est continua: ergo linea non clauditur, non terminatur.

Resp.

Omne continuum potentia, non actu: omne continuum intentione, non constitutione: omne continuum Mathematicum, non Physicum intelligitur. Alii respondent continuum semper secari secundum partes eiusdem proportionis non diuisionis.

Oppon.

Punctum est indiuisibile, ergo non fluit: quo posito, sic arguo Ex indiuisibili non fit diuisibile: ergo nec ex puncto, nec ex fluxu puncti oritur linea.

Resp.

Oriri dicitur linea a puncto, non quod ex eo generetur, sed quod vna pars lineæ a puncto auspicetur, altera in punctum terminetur: quare illam distinctionem non audio in qua dicitur punctum esse Mathematica materia, fluxus forma lineæ, Cum vtrumque res cohærentes cum linea existunt.

DE SVPERFICIE.

Distinctio superficiei.

Superficies est { Concaua, quæ nihil aliud est quam locus. / Conuexa, quæ est extremitas corporis exterior. / Plana, quæ est in plano corpore, vt in mensa.

Superficies est longitudo per lineam, latitudo per se, cuius partes copulantur ad lineam, cuiusque extrema clauduntur duabus lineis.

Oppugnatio.

Opponens.

Illa non distinguuntur, quorum vnum ex alio constituitur: sed superficies ex linea constituitur, ergo linea & superficies non distinguuntur.

Resp.

Linea est in superficie, superficies est in corpore, secundum materiam, non secundum formam.

Oppon.

Longitudo, latitudo, multitudo sunt relatæ, ergo quantitates, nempe lineam, superficiem, numerum definire non possunt.

Resp.

Longitudo latitudo multitudo eadem sunt cum his quæ definiuntur: si ergo dicas idem per idem definiri, respondeo, non esse absurdum, quia illa nomina sunt notiora.

DISTINCTIO, DEFINITIO, ET Argumenta corporis.

Distinctio corporis.

Corpus accipitur vel pro { Materia, sic est substantia, vt planta, animal. / Mensura, sic est quantitas, vt Triangulus, Quadrangulus.

Corpus est longitudo, latitudo, profunditas, cuius partes copulantur remotæ ad lineam, proxime ad superficiem, cuiusque extrema terminantur duabus superficiebus.

Oppugnatio corporis.

Oppon.

Quarto Physicorum, locus definitur esse trina dimensio: sed corpus est nihil aliud quam trina dimensio, ergo definitione non differunt.

Resp.

Trina dimensio duplex { *Interne dimetiens, & sic est corpus.* / *Externe mensurans, & sic est locus qui singulis, corporis partibus aptatur.*

DEFINITIO, DISTINCTIO, ET Argumenta loci.

Cap. 4. lib. Physic. Locus quid.

Locus est supreficies concaua corporis continentis, immobilis primo & per se: per superficiem aliquando spacium, aliquando situm & ordinem intelligere oportet: idque respectu sursum, deorsum, ante, pone, dextrorsum, sinistrorsum, quæ sunt differentiæ loci.

Locus capitur, vel
- Physice, pro spacio, aut situ rerum corporearum spectantium terminos mundi.
- Dialectice, idque vel
  - Comparate, vt est locati locus, & sic est relatio.
  - Absolute, vt est locantis superficies omnibus corporis contenti partibus respondens, & est quantitas.

Rationes quibus probatur locum differre a superficie subiecti.
1. Quia vbi est superficies, ibi semper non est locus, vt extra cælum.
2. Quia loci terminus est superficies, vt patet in textu.
3. Quia locus, 4. Physicorum dicitur immobilis, superficies non item.
4. Quia locus illic definitur trina externa dimensio, superficies autem bina.
5. Quia loci subiectum est corpus continens, superficiei subiectum corpus contentum.

Cur locus differat a superficie.

Oppon.

Male definitur locus per superficiem, si a superficie differat, ergo potius confundi quam distingui videntur.

Resp.

Per superficiem non extremitatem, sed terminum: non clausuram, sed spacium, ordinem, & respectum sæpe Aristoteles intelligit.

Oppugnatio loci.

4. Physic.

Oppon.

Superficies aeris ambientis aliquod fixum immobileque corpus (orta ventorum procella) millies in hora mutatur & mouetur; ergo male definitur locus esse immobilis primum & per se.

Resp.

Etsi superficies aeris millies mutatur per tempestatem, locus tamen arboris vel templi non mouetur: nam immobilis dicitur respectu locati non locantis: multitudo enim superficierum multa loca non facit, modo eadem distantia a terminis mundi maneat.

Oppon.

Locus adiacet locato: sed accidens omne inhæret. ergo locus non est accidens.

Resp.

Locus adiacet locato, sed inhæret locanti corpori.

Opponens.

Locus denominat locatum, ergo inest locato.

Resp.

Denominat locatum relatiue, non absolute.

Oppon.

Nullum accidens extinguitur, manente subiecto, nulloque contrario superueniente, sed locus Platonis mortui extinguitur, cum tamen aer qui fuit subiectum eiusdem loci, maneat, ergo locus non videtur esse accidens, sed potius pars locantis.

Resp.

Interitus Platonis est quædam priuatio loci: vel dicendum est, quod subito claudatur aer, in quo Plato mouebatur ne admittatur vacuum.

DISTINCTIO, DEFINITIO, ET Argumenta temporis.

Distinctio temporis.

Tempus capitur.
- Infinite, pro æternitate, quæ est mensura rerum carentium initio & fine, qualis est Deus.
- Indefinite, pro æuiternitate, quæ est mensura rerum habentium initium & carentium fine, quales sunt Angeli & animi humani.
- Finite, pro mensura rerum habentium initium & finem, quales sunt plantæ, & sic proprie accipitur.

Definitio temporis.

Tempus est numerus (id est, successiua dimensio) motus cælestis (id est, rerum caducarum per cælestem motum:) ex vertigine cæli ac solis dependens, id est, ex conuersione primi mobilis & planetarum, secundum prius & posterius (id est, secundum præteritum & futurum) cuius partes copulantur ad momentum indiuisibile, id est, cuius præteritum definit in punctum, futurum incipit ab eodem puncto temporis.

Oppugnatio temporis.

Oppon.

Motus in quarto Physicorum, dicitur mensura temporis, ergo tempus non est mensura motus.

Resp.

Motus est mensura temporis, vt diei, per lationem solis super horizonta, vt mensis per retrogradum motum lunæ. Tempus etiam est mensura motus, vt per spatium nouem mensium partum prolis in vtero matris dimetimur.

Oppon.

Accidens accidenti non inest, vt in subiecto, ergo tempus non inest motui, quia vtrumque est accidens.

Resp.

Tempus inest relatiue motui, subiectiue primo mobili, vel potius toti mundo vt aggregato subiecto.

Oppon.

Motus continuus per se, vt dicitur 7. Physicorum, non est sub alia specie, ergo est sub tempore.

Resp.

Differentia motus & temporis.

Differt motus a tempore
1. *Quia tempus non est in motu, at omnis motus est in tempore.*
2. *Quia tempus est vniuocum, motus vero multiplex.*
3. *Quia tempus nec velox est, nec tardum, teste Philosopho, at motus est velox & tardus.*
4. *Quia tempus idem numero est vbique, at motus non est.*
5. *Quia tempus non interrumpitur, motus autem impeditur.*

Oppugnatio temporis,

Oppon.

Temporis partes non sunt, ergo nec ipsum tempus.

Resp

Non requiritur, vt partes temporis maneant: est enim tempus ens successiuum, non constans, actuque positiuum.

Opponens

Dies, hora, mensis, annus, videntur esse species temporis, quia de illis in quid prædicatur, sed non fuit ex consensu interpretum, ergo incerta est tractatio temporis, an sit genus vel species.

Resp.

Sunt partes similares, non species distincta.

Oppon en-

Oppon.

Incipere & desinere sunt duo contrarij actus, ergo non fiunt in eodem puncto indiuisibili temporis.

Respondens.

Sunt duo contrarij actus respectu rerum, quæ fiunt. sed non respectu temporis in quo fiunt: vel dicendum est, quod perfectiue actus motus considerati in ipso instanti fiant.


Opponens.

Momentum temporis corrumpitur, vel ergo in seipso, & sic idem in seipso corrumperetur: vel in alio, & sic continuaretur & non esset indiuisibile.

Respondens.

Punctum temporis non corrumpitur, sed cedit alteri.

DE SPECIEBVS DISCRETÆ quantitatis.



Distinctio numeri.

Numerus est multitudo ex coniunctis vnitatibus conflata, in subiecto aggregationis posita, cuius forma est formalis vnitatum aggregatio.

Numerus quid.

Opponens.

Numerus est in incorporeis substantiis, vt in Angelis: est in alijs accidentibus, vt in quatuor virtutibus: est in intentionibus, vt in quinque prædicabilibus, ergo non videtur esse quantitas. Ratio est, quia quantitas, (vt definitio postulat) proxime inhæreret materiæ, at hæ materiam non habent. præterea dicit Philosophus 3. Physicorum. omnem discretam quantitatem oriri ex diuisione continui: sed continuum est solum in materiali subiecto, ergo & quantitas erit in materiali subiecto.

Oppugnatio numeri.

Respondens.

Mathematicus, & intentionalis numerus inest istis, non formalis & Physicus, inest quidem, vtique menti (cui inhæret vt subiecto) cuiusque vt finitus redditur, vocibusq; & rebus (ab omni concretione materiæ alienis) accommodatur. Sunt tamē quidam qui asserunt, numerum in quantitate esse mensuram discretam omnium numeratorum, siue sint corpora. siue corporis expertia; siue sint entia rei, siue entia rationis. Quorum ratio est, quia numerus in duobus angelis vel 5. vocibus est finitæ naturæ; quibus respondeo, per absurdum esse, numerum. (qui est res & quantitas) alijs accidentibus, adeoque intentionibus, vt subiecto inesse; sic accidens accidenti; imo sic res intentioni inesset: magis ergo placet prima argumenti solutio. Postremo, hoc vnum addo speciem excedere suum genus, si species omnium numeratorum esset mensura: nam quantitas ad omnia non diffunditur. Quare, cum dicat Phylosophus tertio Physicorum, omnem discretam quantitatē oriri ex diuisione continui, intelligit numerū solum fundamentum esse in rebus habentibus quantitatem continuam, quæ sunt solum corpora & materiales substantiæ.

Opinio quorundam de numero.

Rationes cur non sit accidentium & intentionum vllus realis numerus.

Oppon.

Numerus est ens infinitum (nam, vt dicit Philosophus tertio Physicorum, in numeris non potes inuenire maximum) ergo non est quantitas, quæ ens finita natura esse debet, sicut res omnis quæ in prædicamento reponitur.

Resp.

Numerus in quantitate est finitus, nam nisi res numero adæquentur, non est numerus: quippe si desit subiectum cui inhæreat accidens, non est omnino; qui ergo fingunt numerum, rerum multitudinem superantem, recte id factitant docendi causa in Arithmetica: at realis hic numerus non est, de quo hic agimus.

Oppon.

Dicunt interpretes vltimam vnitatem esse formam cuiusque numeri (quia per eam quilibet numerus ab alio distinguitur) sed vnitas est materia numeri, teste Philosopho quinto Metaph. ergo non est forma.

Resp.

Non vnitas, sed vnitatum formalis vnio & aggregatio forma numeri est: nam aggregatione vnitatum mutata, mutatur numerus.

Oppon.

Omnis numerus est rerum numerans, quas successiue numerando distinguit: sed numerus numerans est ens rationis (cum sit in solo animo) ergo numerus est ens rationis.

Resp.

Dixerunt quidam, numerum esse ens ab animo solo fabricatum, at alii longe melius distinxerunt numerum, numerantem esse vel effectiue, qui est in solo intellectu: vel formaliter, qui cessante intellectu, in rebus numeratis manet, vt binarius esset in duabus plantis, etsi intellectus non comprehenderet.

Oppon.

Multitudo, vt patet in textu est relatio, sed numerus est multitudo, ergo est relatio.

Resp.

Multitudo hic absolute, non respectiue sumitur, & est Synonymum cum numero.

Oppon.

Ex indiuisibili nihil fit diuisibile, sed vnitates sunt indiuisibiles, ergo ex illis non fit numerus.

Resp.

Maior est vera in coniunctis, non in discretis quantitatibus.

DE ORATIONE.

DISTINCTIO, DEFINITIO, Argumenta Orationis.

Distinctio Orationis.

Oratio est, vel
- Scripta, quæ est substantia.
- Mente concepta, quæ est habitus vel dispositio intellectus.
- Voce prolata, quæ est sonus.
- Ponderata, quæ est in
  - Aere, vt in medio deferente.
  - Proferente, vt in causa efficiente.
  - Re significata, vt in subiecto.

Oratio quid

Oratio est discreta mensura syllabarum & literarum, longitudine & breuitate temporis distincta, varieque sonorum numero complexa

quæ

quæ, mediante voce, rei per vocem significatæ primario inest, eamque quodammodo dimetitur.

Opponens.

Oratio est intentio, vt docet Philosophus lib. Interpretationis, ergo non est quantitas. *Oppugnatio Orationis.*

Resp.

Oratio capitur, aut { *Pro intentione complexa, vt illic.* / *Pro discreta dimensione vocum, sibi inuicem succedentium.* }

Opponens.

Oratio fit ex numero & tempore, ergo ab eis non distinguitur, antecedens probatur, quia habet longitudinem & breuitatem syllabarum a tempore, & multitudinem a numero.

Resp.

Vt imago est re & natura distincta a cera & sigillo, cum tamen ex vtroque constet: ita oratio est quiddam disiunctum natura a tempore & numero, quamuis ex vtroque coalescat: nam est discretio vtriusque.

Opponens.

Oratio non dicitur de prima substantia, in quantum, ergo non est quantitas.

Respondens.

Non hoc requiritur in omni accidente, vt denominet: quippe sunt quædam inhæsionis tantum, quædam denominationis accidentia. Respondent aliqui orationem ideo non denominare, quia nomen in concreto deficit. Alij denique resoluunt hoc argumentum, dicendo, quod oratio prædicetur de rebus in substantia mediantibus sonis ac vocibus, quæ primum orationi subijciuntur: at, cum neque soni, neque voces subijci possint, nisi & illis subsint substantiæ, sequitur orationem etiam substantias denominare.

Oppon.

Oratio est mensura literarum & syllabarum, sed literæ & syllabæ non sunt substantiæ, ergo non mensurat substantias.

Respondens.

Syllabæ & literæ habent modum substantiæ, vt ait Scotus: at melius respondebis, si dicas rem ipsam per syllabas & literas expressam ab oratione ponderari: nam syllabæ & literæ sunt partes ipsius orationis, quas si mensuraret oratio sequeretur, orationem mensurare se ipsam: Quid enim est aliud oratio quam suæ partes. Necesse ergo est subesse rem aliquam, quæ est istius mensuræ capax

CAP. XVII.

De proprietatibus quantitatis.

IMpense operam dedi, vt quantitatis diuisio, ad lectissimorum interpretum calculos reuocata, omnibus patefieret. Supersunt adhuc duo: nimirum eiusdem quantitatis ascititia distributio, & necessaria quorundam propriorum in illa expositio, distributio est in quantitates habentes, & non habentes situm. Situm habere est nihil aliud, quam posse, quasi sensibus partes ordinemque partium demonstrari. Sic Linea, superficies, corpus, locus, situm habere dicuntur, quia eorum partes stabiles manent, eorumque ordo facillime cognoscitur. Tempus vero, numerus, & oratio (quia fluentes & vacillantes partes sortiuntur) situm non vendicant. *Accidentalis diuisio quantitatis.*

Proprietates quantitatis tres sunt: duæ priores quantitati cum substantia communes, nempe non suscipere contrarium, nec magis & minus. Quæ cum eandem prorsus interpretationem (mutato nomine) hic *Duæ priores proprietates*

habent, quam in substantia adhibuimus, beneuolum Lectorem illuc breuitatis causa remittimus.

Proprietas tertia.

Vltima proprietas est, vt a quantitate res omnes quantæ, æquales vel inæquales dicantur. Hinc æqualitas definitur rerum diuersarum eadem quantitas in specie non numero: sic gemini æquales tempore nominantur. Hinc quoque inæqualitas definitur, rerum diuersarum diuersa quantitas, sic senex & infans inæquales tempore: sic gygas & nanus inæquales corpore appellantur.

DISTINCTIO VLTIMÆ. proprietatis.

Tertiæ proprietatis distinctio.

Æqualitas est, vel
- Propria, in sola quantitate.
- Impropria, in alijs rebus ratione quantitatis, sic dicimus hanc albedinem æqualem esse huic, quia superficies in qua est albedo, alteri æqualis existit: idem dicendum est de inæqualitate.

Opponens.

Oppugnatio tertiæ proprietatis.

Linea recta curuæ contrariatur, ergo quantitas quantitati est contraria: est motus in quantitate ergo est contrarietas: est locus sursum, & locus deorsum, sunt dies & noctes, ergo sunt contraria.

Resp.

Linea recta curuæ contrariatur per accidens: sic locus sursum & deorsum, sic dies nocti, sic tempus velox tardo. Ad alteram partem argumenti de motu respondemus, vt antea; esse contrarietatem communiter dictam, non aduersam, quæ hæc intelligitur.

Oppon.

Quantitas, quæ est terminus augmentationis, magis suscipit intentionem in fine augmentationis, vbi perficitur, quam in principio & medio, vbi a sola potentia materiæ inchoatur, ergo quantitas, suscipit magis & minus: antecedens probatur, quia cum incipit natura per augmentationem ad definitam quantitatem materiam perducere, ipsa quantitas (quæ est terminus istius augmentationis) est tantum in potentia materiæ, vtpote magnitudo plantæ in grano mandato terræ est secundum potentiam tantum, postquam vero accreuerit in plantam, est magis magnitudo, quia id actu est, quæ solummodo in potentia fuit.

Resp.

Respondent aliqui, non magis quantitatem in actu quam in potentia: in termino quam in principio esse. At horum iudicium non placet, quia id magis esse dicitur, quod est actu completo, vt homo, quam quod in potentia sola delitescit, vt materia mobilis ad hominem: quare potius respondeo, quod quantitas non sit in potentia materiæ, vt in subiecto omnino, quia vt antea docuimus, actu existens subiectum accidentis requiritur: Licet ergo quantitas plantæ sit maior & perfectior, non est tamen magis quantitas quam quæ in grano fuit.

Oppon.

Æqualitas & inæqualitas sunt contraria, ergo vnum proprium non cōstituunt.

Resp.

Hæc sunt quodammodo contraria, sed posse subiectum æquale vel inæquale denominare, est proprium quantitatis.

Opponens.

Æqualitas & inæqualitas non sunt species quantitatis ergo quantitas de illis in abstracto dici non potest.

Resp.

Est

Est necessaria consecutio, non prædicatio. Nam vt generatio vnius dicitur corruptio alterius, & ex aduerso; cum tamen nec generatio sit corruptio, nec corruptio generatio: ita æqualitas est quantitas non ex necessitate prædicandi, sed ex necessitate consequendi.

Opponens.

Diuisibile esse, mensurabile esse, sunt propria quantitatis, ergo sunt plura quam tria.

Resp

Sunt ex essentia quantitatis: vel potius dicendum est, reduci ista ad vltimam proprietatem.

Finis Quantitatis.

CAP. XVIII.

De Relatione.

Nonnullis mirum videtur, quid Aristoteli venerit in mentem, Relationem Qualitati præponere, præsertim, cum hæc sit ens absolutum, illa ens comparatum: hæc causa multorum relatorum, illa effectus: cæterum si atttentius obseruent ordinem quo vtitur Philosophus, desinent certe mirari. Nam cum in quantitate crebrior mentio longiorque disceptatio fuerit de magno & paruo, de multo & pauco (quæ sunt relata) ordine disciplinæ quasi coactus, relationem proxime quantitati opportune discutit. Huc adde, quod relatio inter duo entia absoluta (qualia sunt quantitas & qualitas) posita magis elucescat. Non est, quod simus nimis soliciti de significatione huius Categoriæ: hoc vnum tamen dicendum est, quod alia accidentia sic inhæreant, vt subiectum suum ad nihil extra se disponant, sicut calor & sapor: & hæc proprie absoluta dicuntur: alia vero ad aliud rem subiectam disponunt, vt scientia ad scibile, sensus ad sensibile, & hæc accidentia relata appellantur. Horum autem est duplex discrimen: nam alia sic insunt, vt simpliciter eorum natura ab alio non dependeat, sicut scientia, & hæc relata secundum dici, vt aiunt: alia, quorum natura tota est in respectu, & hæc relata secundum esse proprie nominantur, vt pater, filius. Hinc tria requiruntur ad quamlibet relationem huius prædicamenti, fundamentum, vt hæc albedo alteri similis: subiectum, vt corpus: terminus, vt similitudo quæ vulgo correlatum dicitur. Si horum vnum concidat, necesse est eodem motu labefactetur relatio. Sunt ergo relata entia rei comparata, quorum vnũ ita cum alio confertur societate naturæ, vt hoc sine illo esse quidem non possit. Per entia rei omnia rationis relata, vt genus, species excluduntur: per entia comparata omnia absoluta accidentia remouentur: per indissolubilem nexum & societatem vtriusque, relata secundum dici ab hac definitione rejiciuntur: sunt tamen quodammodo sub ista Categoria: quia simul vel actu vel potentia considerata vere reciprocantur, vt scientia & scibile, sensus & sensibile.

Ordinis ratio.

Significatio relationis.

Relata secundum esse & dici.

Relationis

Discrimen inter relata secundum esse & secundum dici est quod illorum tota natura in respectu ponatur, vt natura patris in filio: Horum vero primaria significatio sit absoluta, minus primaria, in respectu posita: vt scientiæ & scibilis: quorum illa nempe scientia primum qualitatem: hoc nimirum scibile primum substantiam significat: tum alterum cum altero comparatum relationem efficit. Postremo, vt rem paucis contraham, Relatum per rectum, Correlatum per obliquum casum semper cognoscitur.

Differentia inter relata secundum esse & dici.

Nota.

DISTINCTIO SIGnificationis.

Relatio intentionalis, realis.

Relatio est
- Alia intentionalis, inter nomina secundæ intentionis, vt inter genus & speciem, subiectum & prædicatum, &c.
- Alia Realis
  - Communiter sumpta, quæ est eorum omnium accidentium, quæ subiectum suum ad alia disponunt, qualia sunt, postrema prædicamenta.
  - Proprie accepta
    - Interna, secundum actum quæ præter respectum nihil significat: vt relata secundum esse, quæ maxime hic intelliguntur.
    - Externa, secundum potentiam, quæ præter respectum aliud fundamentum & causam intuetur, vt relata secundum dici.

Oppon.

Oppugnatio quæstionis. Arist. lib. de cælo. 2.

Comparatio est actio intellectus, sed relatio est comparatio ergo relatio est actio intellectus: & proinde erit in solo intellectu idque ens rationis, non rei: quod si ita sit non erit prædicamentum, quod ens rei esse debet: cuius natura ea est, vt extra intellectum cohæreat.

Resp.

Non solum comparationes, vt paternitas & filiatio, sed etiam res, vt pater & filius hic definiuntur: quod ita sit liquido hinc patebit, quia seclusa intellectus comparatione, vnum album magis cum alio albo, quam cum nigro conuenit: idq; quoad naturam, ergo cessante operatione intellectus, est similitudo: sed similitudo est relatio, ergo sine intellectu est relatio.

Oppon.

Relatio secundum prius & posterius dicitur de Relatis secundum esse, & de Relatis secundum dici, ergo non est genus. Præterea, si omne Relatum habeat correlatum, necesse est, vt summum hoc genus correlatum habeat, & sic essent duo in hac Categoria suprema genera: nam relatum & correlatum natura simul esse debent.

Resp.

Ad primum argumentum respondetur, quod relata secundum dici, proprie in hoc prædicamento non sint. Ad alterum dicimus, non requiri, vt summum genus (quod est principium referendi) correlatum habeat.

Oppon.

Tota essentia Relati est in correlato ergo non videtur esse accidens, quia accidentis essentia non in Relato, sed in subiecto consistit.

Resp.

Etsi formalem essentiam habeat in correlato, materialem tamen subsistentiam habet in subiecto.

Oppon.

Opponens.

Omne genus diuiditur per oppositas differentias, sed Relationis differentiæ non sunt, ergo non est extu genus distinctum.

Resp.

Relatio diuiditur per differentias in relata. { *Æquiparentiæ quæ eodem nomine dicuntur, vt simile simili similis* / *Disquiparentiæ, quæ sunt* { *Supra positionis, vt dominus ad seruum pater ad filium.* / *Suppositionis, vt seruus ad dominum filius ad patrem.* } }

Relationis diuisio per differentias

Vel dicendum est quod veræ differentiæ sint solius substantiæ, non accidentis, vt habet Philosophus sexto Metaphysicorum.

Oppon.

Relata intentionalia, vt genus, species, sunt, quorum tota vis & natura posita est in alio, ergo sub ista definitione & categoria continentur.

Resp.

Primum excluduntur, quia non sunt entia rei: secundo, qui nullam per se essentiam habent: quippe dependent aut ab animo, vt a principio: aut a re, vt a subiecto.

CAP. XIX

De duabus communitatibus & tribus proprietatibus Relationis.

COmmunitates Relationis duæ sunt; suscipere contrarium, & suscipere magis & minus: quæ per se non conueniunt Relationi, aliquo modo proprii, sed ratione fundamenti: vt scientia, quæ est Relatio, ob id contrarium suscipere dicitur, quia in qualitate absolute accepta ignorantiæ opponitur. Placet Toleto nostro hæc opinio de prima communitate; de altera non placet. Dicit enim Relationem secundum se suscipere magis & minus: quippe suscipiunt magis & minus quædam relata, vt æquale & inæquale, quorum tamen fundamentum, nempe quantitas, non suscipit. Hæc tamen susceptio non sine aliqua mutatione fundamenti efficitur, vt patet in duobus albis, quorum vnum, vt octo, alterum vt septem intenditur vnde pro variis mutationis gradibus in albis maior vel minor similitudo, quæ est relatio, nascitur.

Duæ communitates relationis.

A Toleto dissentit.

Vt duæ sunt communitates, ita tres proprietates sunt relationis, quæ quarto modo proprii conueniunt: nimirum 1 Reciprocari; 2 simul esse naturę ordine; 3 mutuo definiri.

Proprietates relationis tres.

Reciprocari, est, vt loquuntur veteres, ad conuertentiam dici. Conuertentia autem est mutua relati, & correlati, secundum dissimilitudinem casus dependentia. Conuertuntur enim relata aut in gignendi casu, per proprietatem naturæ, vt pater est filii pater: aut in dandi per æqualitatem, vt similis est simili similis; aut in accusandi per præpositionem, vt mons magnus ad montem paruum: aut in auferendi per gradus comparationem, vt maius est minore maius. Si quis obiiciat scientiam & scibile, sensum & sensibile, quæ multoties in textu obiiciuntur, vtpote, quæ nec reciprocari, nec simul esse naturæ ordine possint; quia sunt relata secundum dici: Respondeo, vt antea, æqualiter vel simul actu, vel simul potentia considerata, vtrumque proprium hoc participare: sin vero inæqualiter, verbi gratia, scibile actu, scientia eiusdem in futuro considerentur, nec simul esse, nec vllo modo reciprocari possunt. Simul esse naturæ ordine in Relatione dicuntur Relata & Correlata, quæ mu-

Proprietas 1. Conuertuntur relata quatuor modis.

Obiectio.

Solutio.

Proprietas 2.

tuo se ponunt & posita, se mutuo perimunt, vt neutrum sit causa alterius, nec ambo effectus alicuius tertii; Sic duplum non est sine simplo, nec pater sine filio: & tamen nec duplum est causa simpli, nec pater est causa filii, vt sunt respectus: in fundamento tamen vt in substantia, pater, vt genitor, est causa filii, Hic vero forma Relationis, non causa generationis consideratur: hinc homo & risibile, sol & lumen, omniaque hisce similia ab hac proprietate excluduntur, quia homo est causa risibilis, & sol est causa luminis.

Proprietas 3. Postrema proprietas Relationis est, vt vno Relatorum definite cognito, alterum necessario cognoscatur definite. Vnum cognosci, est tam specie quā genere, respectum Relati & correlati intelligi. Nam non est satis (vt placet Boetio) cognoscere dimidium in communi, aut maius in genere, nisi etiā hoc dimidium respectu illius dupli: hoc maius respectu illius minoris determinate intelligas.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA duarum communitatum.

Relatiua considerantur materialiter & formaliter

Relatiua considerantur vel { Formaliter in respectu solo, & sic non suscipiunt contraria omnino. / Materialiter in fundamento & sic suscipiunt aduersa.

Oppugnatio communitatum.

Oppon.

Relata sunt opposita relatiue, ergo non sunt aduersa, quia hæc duo sunt diuersa genera oppositionis.

Resp

Sunt relatiue opposita per se: sunt aduersa ratione fundamenti & causæ, vt quia scientia in qualitate opponitur ignorantiæ, ratione qualitatis, dicitur in prædicamento opponi.

Oppon.

Par & impar sunt aduersa, vt ait Aristoteles in textu, sed eorum fundamentum, nempe quantitas non suscipit contrarium, ergo omnia relata quæ sunt aduersa, non suscipiunt contrarium ratione fundamenti.

Resp.

Par & impar non sunt proprie aduersa, sed disparata, quæ analogice ad aduersa reducuntur.

Oppon.

Respectus non habet gradus, quibus intendi, aut remitti possit, vt calor: ergo non suscipit magis & minus.

Resp.

Respectus in se est indiuisibilis, quoad gradus intentionis & remissionis: ratione tamen fundamenti intensi aut remissi magis & minus admittit, vt cum intenduntur duo alba, vtriusque etiam intenditur similitudo.

Opponens.

Non est motus in Relatis, ergo non est susceptio magis & minus. Argumentum est in quinto Physicorum.

Resp.

Argumentum illic intelligitur de primis qualitatibus elementorum & naturalibus contrariis quæ intenduntur & remittuntur. Physice per motum, Dialectice per gradum.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA primæ proprietatis.

Reciprocatio est
- Complexa, quæ est transmutatio subiecti in locum prædicati, & ex aduerso in propositionibus.
- Simplex, quæ est, aut
  - Propriarum passionum, & hæc est secundum potentiam: vt, quicquid est homo est risibile, quicquid est risibile est homo.
  - Relatiuorum. & hæc est secundum actum & dependentiam, vt pater est filij pater, & filius est patris filius.

Oppon.

Sensus & sensibile, scientia & scibile sunt relata, at non reciprocantur, ergo omnia in hoc genere non reciprocantur.

Oppugnatio primæ proprietatis.

Resp.

Patet solutio ante de pari, & impari consideratione istorum.

Oppon.

Si ita considerentur, vel secundum actum simul, vel secundum potentiam, tum non different a relatis secundum esse: sed hoc non est concedendum, ergo sic considerari non possunt: maior patet quia tum sunt huiusmodi, quorum tota vis & natura dependet ab alio, non aliter, quam natura relatorum secundum esse.

Resp.

Fatemur relata secundum dici sic comparata, nexu quodam deuinciri, non aliter, ac relata secundum esse: verum in hoc discrimen est, quod relata secundum dici sic se habeant, vt vnum actu, alterum potentia, & esse & considerari possit: at ita in relatis secundum esse non contingit: nam non est pater, nisi respectu filij: non est duplum nisi respectu simpli: est vero scibile aliquando actu, cum non est scientia eiusdem, nisi in potentia. & hæc est inæqualis istorum consideratio.

Oppon.

Non est conuersio nisi sint apta nomina: sed multa sunt relata, quibus desunt apta nomina, ergo sunt multa relata, quæ non conuertuntur: maior & minor sunt in textu.

Resp.

Ad conuersionem Relatorum tria requiruntur,
- *Dissimilitudo casus, vt pater est filij pater, & e contra.*
- *Dependentia naturæ, quæ est vnio vtriusque in pari existentia.*
- *Apta & accommodata nominis impositio, qua deficiente, fingenda & excudenda sunt noua nomina: vt quia dicere non possis manus est alicuius manus, caput est alicuius caput: licebit tibi dicere, manus est manuati manus: caput est capitati caput.*

Ad conuersionem relatorum 3. requiruntur.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA Secundæ proprietatis.

Simul natura sunt vel
- Diuisione, vt species, quæ vnum genus diuidunt. sicut homo & bellua.
- Relatione, quæ hic intelliguntur, definiunturque vt antea.

Distinctio 2 proprietatis.

Oppon.

Ponere & tollere sunt actus causæ, sed relata se inuicem ponunt & tollunt, ergo relata sunt sibi inuicem causa.

Resp.

Res mutuo se ponunt bifariam, vel
- *Per causam in absolutis.*
- *Per dependentiam in relatis.*

Opponens.

Genera sunt & differentiæ in hoc prædicamento, ergo sunt causæ: nam hæc principia rerum dicuntur.

Resp.

Relatio considerator vel { Secundum generalem ordinem omnium prædicamentorum, & sic sunt genera, species differentiæ.
Secundum proprium & germanum modum prædicandi de prima substantia, & sic inter relata & correlata nulla est causa, sed dependentia.

Duplex consideratio relationis,

Oppon.

Prius & posterius sunt relata, sic etiam causa & effectus: nam prius est posteriore prius: & posterius est priore posterius sic etiam causa est effectus causa, & effectus est causæ effectus: sed hæc non sunt simul (quippe prius cum posteriore, & causa cum effectu simul esse non possunt, ergo sunt aliqua relata, quæ simul non sunt natura ordine,

Resp.

Illud quod in rebus denominatur prius, aut causa, vt animal respectu hominis nō est simul: sed hij termini nempe prius & posterius, causa & effectus si conferantur, simul sunt: nam hij termini sunt intentiones, non res ipsa.

Oppon.

Pater decem filios habens non est simul, cum decem filijs, nam tum sublato vno tolleretur pater quia relata se mutuo perimunt: ergo omnia relata non sunt simul.

Resp.

Vt vnus est homo numero qui generat decem filios, ita est vnus respectus numero in hoc vno subiecto; vnitas enim accidentis ab vnitate subiecti dependet, vt ait Boetius; fieri ergo non potest, vt sint plures paternitates in vno indiuiduo patre.

Oppon.

Multiplicatis terminis Relationis, necesse est ipsam relationem multiplicari: sed in patre habente decem filios multiplicantur termini Relationis, ergo necesse est, ipsam Relationem multiplicari.

Resp.

Non est necesse nam multiplicatis sexcentis albis in quibus fundatur similitudo, quæ est relatio, (vnde omnia hæc similia dicantur quamuis secundum magis & minus) non est tamen necesse ipsam similitudinem multiplicari: Quare, vt multæ fibræ ex vna radice, vt multi radij ex vno sole: ita multi filij ex vno patre: & vt sol vnus est numero, etsi multiplicentur radij: ita pater vnus manet numero, etsi multiplicentur filij.

Oppon.

Paternitas patris in ordine ad primum filium corrumpitur, sublato primo filio & sic in ordine ad cæteros, ergo plures sunt respectus in vno patre.

Resp.

Improprie loqueris, cum dicas in conclusione plures esse respectus in vno patre, cū pater ipse sit nihil aliud quam respectus: si autem per patrem genitorem intelligas, tum quidem plures respectus inesse possunt, vt idem qui est genitor potest esse dominus & sic habet respectum ad seruum: potest esse sponsus & sic habet alium respectum ad sponsam Sed audi. Plures sunt filiationes: sunt ergo plures paternitates: obtundis; dico enim plures esse in fundamento, sed ex his pluribus vnum realem & formalem respectum fieri in termino Quid? non refertur cum primo, cum secundo, cum tertio, cū singulis suo ordine? Fateor: ergo videtur multiplicari respectus: multiplicatur intentio conferentis non relatio rei: id est, multiplicatur comparatio mentis, quæ est mera intentio, non relatio patris, quæ est realis habitudo,

Obiectio.
Solutio.

DISTIN

DISTINCTIO ET ARGVMENTA vltimæ Proprietatis.

Definitio est { Alia absoluta, per causam in effectis. / Alia respectiua, per dependentiam in relatis. } Distinctio 3

Oppon.

Est 1. circulus in definitione relatorum: 2. non sunt genus & differentia in eorum definitione: ergo vnum per alterum definite cognosci non potest. *Oppugnatio nes duæ sub vna.*

Resp.

Hæc loca & omnia alia quæ ex sexto & septimo Topicorum petuntur, intelligi debent in absolutis, non in respectiuis.

Oppon.

Substantiæ partes, vt manus, oculus: & situs quędam genera, vt statio, accubatio, in textu negantur esse relata, in metaphysicis esse dicuntur, ergo Aristoteles repugnat sibiipsi.

Resp.

Substantiæ partes capiuntur bifariam, { *Absolute, & sic non sunt relata.* / *Comparate, & sic aptis nominibus impositis sunt relata, vt manus est manuati manus.* }

Situs genera capiuntur, aut pro { *Inflexione corporis, ordineq́; partium, & sic non sunt relata.* / *Externa delineatione, & sic sunt in genere qualitatis.* / *Comparatione partium generationis ad locum, & sic sunt relata* } *Situs genera capiuntur tripliciter.*

Oppon.

Aliquod relatum esse potest sine correlato, ergo vnum intelligi potest sine altero: Antecedens probatur, quia prius in tempore esse potest sine posteriore in tempore: sed prius & posterius in tempore sunt relata, ergo relatum, vt prius in tempore, potest esse sine correlato quod est posterius in tempore.

Resp.

Vt sunt relata simul sunt: vt vero sunt aut res in tempore, aut ipsa diuersa tempora, vtpote præteritum & futurum sic non sunt simul.

Finis Relationis.

CAP. XVIII.
De Qualitate.

DE ordine Qualitatis si multa dicerem, essem molestus: nam si absoluta comparatis, si principia effectis, sint loco & ordine præponenda, haud dubie qualitas (quæ est absoluta causa, & fundamentum actionis & passionis) hunc locum & ordinem iure vendicare debet: vt enim calor (qui est qualitas) ab igne; ita calefactio (quæ est actio) a calore nascitur. *Ordo qualitatis.*

Significatio qualitatis est vel longe lateque diffusa, vnde omne accidens de substantia in quale dicitur: vel stricte presseque accepta, & sic ascititia & absoluta forma hic definitur. Est enim qualitas forma aduentitia, partim sensu percepta, vt calor; partim menti infixa, vt virtus: qua absolute & simpliciter subiectum denominatur quale. Per formam aduentitiam internæ differentiæ, vt, rationis compos, & expers, per vocem, absolute, omnia comparata, per vocem, simpliciter, reliqua omnia accidentia excluduntur, quæ non simpliciter, sed ex parte, & cum adiuncto vt aiunt, de subiecto in quale prædicantur: nam omne accidens in quale dicitur, sed sola qualitas simpliciter & absolute prædicatur. No- *Significatio.* *Quid sit qualitas*

men enim alibi, teste Philosopho, in tertia proprietate substantiæ, nihil præter qualitatem significat: at nomen quanti, præter qualitatem, quantum & quotum, suum subiectum denominat.

Diuisio qualitatis. Diuisio qualitatis est in quatuor genera: nempe in habitum & dispositionem: in naturalem potentiam & impotentiam: in passionem & patibilem qualitatem; in formam & figuram. Si quæras, cur octo nominibus in signiantur hæc quatuor genera: Respondeo, hoc non fieri (vt multi cogitant) ex defectu nominum, sed ex eo, quod res aliæ in quouis horum generum perfectæ, aliæ imperfectæ existant, quæ cum specie non differant (perfectum enim & imperfectum non faciunt differre specie) necesse est vnum nomen perfectioni, alterum imperfectioni significandæ in genere, sic habitus nomen est perfectionis: sic dispositio nomen imperfectionis in primo genere. Sic potentia quoque nomen perfectionis: sic impotentia nomen imperfectionis, in secundo genere habetur.

Cur octo nominibus insigniantur species.

DISTINCTIO SIGNIFICATIONIS.

Distinctio significationis.

Qualitatis significatio est
- Intentionalis, vt omnes separatæ species rerum, quæ in mente imprimuntur, quæque a suis primariis obiectis separantur, vt species solis in aqua; coloris in speculo.
- Realis
  - Interna, vt omnis differentia in substantia, quæ qualitas dicitur.
  - Externa
    - Communis, vt omne accidens quod in quale dicitur.
    - Propria, simplex, & absoluta, quæ hic definitur.

DISTINCTIO DIVISIONIS.

Distinctio diuisionis

Omnis qualitas est, vel
- Mente posita, seu potius insensibilis, quæ est, aut
  - Secundum actum, sic est in primo genere, vt virtus.
  - Secundum vim quandam naturæ, & sic est in secundo genere, vt potentia videndi.
- Sensu percepta, seu sensibilis, quæ est, vel
  - vt proprium obiectum sensuum, & sic est in tercio genere, vt, calor, sonus.
  - Vt commune obiectum, & sic est in quarto genere, vt figura domus, forma externa hominis.

Opponens.

Oppugnatio diuisionis & significationis.

Ab illuminatione solis splendor aeris, qui est qualitas; a calefactione ignis calor aquæ oritur, ergo potius ab actione qualitas, quam a qualitate actio proficiscitur. Quo concesso, ratio ordinis nulla esse videtur, in qua qualitas causa actionis & passionis ducitur.

Resp.

Etsi splendor aeris, & calor aquæ oriantur ab istis particularibus actionibus in hoc vel illo corpore, tamen primario actiones omnes fundamentum habent in qualitate, vt illuminatio solis a lumine in sole, calefactio ignis a calore in igne primum & per se nascitur: quare etsi actio sit effectrix causa huius & illius qualitatis, generatim & primario tamen qualitas est causa actionis.

Oppon.

Oppon.

Virtus est qualitas omnium dignissima, quæ tamen ex actione per se oritur, ergo solutio prioris argumenti videtur infirma. 2. Ethic. lib

Resp.

Per actionem dispositionem intelligit & sic omnis habitus constituitur.

Opponens.

Passiones vt verecundia, leuisque ira non denominant subiectum quale, vt ait Arist. in textu, ergo male definitur qualitas.

Resp.

Denominant, sed non firmiter, vt patibiles qualitates & habitus: sed qui fit, vt qualitas per quale definiatur cum quale sit posterius quiddam qualitate? Respondetur quoniam quale est notius, est enim quale concretum, qualitas abstractum: at concretum & abstractum eadem sunt re vera, ergo vnum per alterum non definitur? eadem sunt quidem: concretum tamen est notius abstracto, quia significat subiectũ. Hinc patet, quod non sit definitio, sed notatio qualitatis, vel potius quædam ex Synonymis constans interpretatio. Anticipatio obiectionis Replicatio. Solutio.

Oppon.

Quarto Metaph. cap 2. dicit Philosophus qualitatem multipliciter & æquiuoce dici quod sane videtur verum, quia per opposita differentias in genera (vt reliquæ Categoriæ) proxime non diuiditur.

Resp.

Quamuis notas non habemus differentias qualitatis, circumscribimus tamen illas sensibile & insensibile. vnde sensibiles dicuntur illa, quæ feriunt & pulsant sensum: insensibiles, quæ omnem sensum fugiunt: quod vero dixerit Aristoteles multipliciter dici qualitatem, intellexit in communi non in propria significatione. Alij respondent, non requiri veras differentias in accidentibus, quippe accidentia illarum defectu, nec vere definiri, nec recte demonstrari possunt.

CAP. XXI.

De habitu primo genere Qualitatis.

PRimum genus qualitatis constituunt habitus & dispositio: quæ quidem, etsi nomine differunt, genere tamen non distinguuntur. Nam vt infirmus & debilis homo, a seipso sano & forti, natura non differt: ita dispositio quæ est qualitas infirma & debilis, ab habitu, qui est qualitas confirmata, specie quidem non distinguitur, sed vt infirmus cito concidit, sanus autem diutius manet: ita dispositio cito euanescit, cum habitus diutissime subiecto inhæreat. Hinc dispositio definitur qualitas insensibilis facile parta, quæ cito dilui & deleri potest. vt Grammatica in puero, virtus in iuuene. Hinc etiam habitus definitur qualitas insensibilis multis dispositionibus acquisita, longo tempore confirmata, quæ difficulter a subiecto remouetur, vt medicina in Galeno, Philosophia in Aristotele. Si quæras quæ in hoc primo genere reponantur, respondeo omnes artes mechanicas & liberales, omnes uirtutes, habitusque moris & mentis. Mechanicæ sunt, vt ars ædificandi nauem, ars tractandi ferrum: Liberales sunt, vt Grammatica, Rhetorica, Dialectica, &c. Virtutes mentis sunt, vt ars, scientia, intelligentia: virtutes moris, vt fortitudo, liberalitas, temperantia: pręter hęc multi habitus infusos in hoc genere reponunt, quibus assentior, etsi de acquisitis, non de infusis egerit Philosophus.

Habitus & dispositio eadem species Similitudo.


Dispositio quid Habitus quid.

Habitus amplitudo.

DISTINCTIO ET ARGVmenta habitus.

Distinctio habitus.

Habitur præcedi reliqua genera qualitatis,
- Propter dignitatem subiecti, quod est animus.
- Propter perfectionem essentiæ, quæ est actus.



Oppon.

Oppugnatio habitus.

Potentia præcedit actum, sed in secundo genere est potentia, ergo præcederet habitum, qui est actus.

Resp.

Ordo disciplinæ, non naturæ; perfectionis, non constitutionis hic obseruatur: quo ordine actus potentiam præcedit.

Opponens.

Nomina imponuntur a forma, teste Philosopho libro de Interpretatione, sed est vna forma & natura habitus & dispositionis, ergo esset & vnum nomen.

Resp.

Omne nomen primario imponitur a forma, sæpe vero a modo conueniendi, & sic hæc nomina perfecti & imperfecti significandi causa imponuntur.

Oppon.

Castitas, vel temperantia est habitus, sed vnica actione libidinosa, amittitur, ergo habitus difficulter, a subiecto non diuellitur.

Resp.

Temperantia capitur, aut pro
- *Integritate vitæ, & sic vna actione amittitur.*
- *Habitu continendi ab actu libidinis, & sic difficulter extinguere*

Oppon.

Omnis habitus in textu dicitur dispositio, sed dispositio facile amittitur, ergo & habitus.

Resp.

Dispositio accipitur bifariam.
- *Aggregatim, & sic omnis habitus est dispositio.*
- *Diuisim pro vna vel altera actione, & sic non est.*

CAP. XXII.

De naturali potentia secunda specie Qualitatis.

Potentia ad esse & bene esse.


QVemadmodum in re qualibet est esse, & bene esse, teste Philosopho, ita rerum omnium est quædam potentia ad ipsum esse, quædam ad bene esse perficiendum: illa, exempli causa, est in aere, vt fiat aqua: hæc in aqua, vt fluat, vt humectet corpus. Nam sicut illa ad essendum, vt aiunt, ita hæc ad agendum aptum subiectum reddit: quorsum hoc? Vt intelligas, hanc, quæ disponit ad agendum in hoc genere solum

solum intelligi: quæ definitur innata & insensibilis qualitas, sequens formam subiecti, ipsumque reddens aptum ad agendum & ad resistendum contrario. Innata dicitur, quia non acquiritur: Insensibilis, quia sensibus non obijcitur: Sequens formam, quia res agit per potentiam & formam (nam per impotentiam & materiam patitur.) Reddens aptum ad agendum, & ad resistendum contrario, quia vt a natura inchoatur, ita per illam etiam perficitur: Sic ignis potens est calfacere, sic durities in ferro potens est resistere. Naturalis impotentia, quæ a potentia, vt mulier a viro, infirmus a sano, imperfectum a perfecto differt, sic definitur, vt sit qualitas innata & insensibilis, qua efficitur subiectum naturaliter impotens ad agendum, & ad resistendum contrario, vt mollities in cera, morbus in corpore. Sed quæ sint in hoc genere, præsens tabula melius demonstrabit.

Potentia definitio.

Impotentia definitio.

DISTINCTIO NATVRALIS
Potentiæ & Argumenta.



Oppon.

Quicquid subiectum disponit ad aliud, est ens respectiuum, sed potentia disponit subiectum ad aliud, nempe ad actum: ergo potentia est ens respectiuum.

Oppugnatio potentiæ.

Respondens.

Hoc non sufficit ad relati naturam, vt disponat subiectum suum ad aliud, sic enim omne accidens esset relatum, sed hoc etiam requiritur, vt tota eiusdem vis & essentia ad aliud comparetur, & sic potentia per se, & primario sumpta non refertur.

Oppon.

Naturalis impotentia est defectio vel priuatio naturalis potentiæ, vt imbecillitas videndi & audiendi in sene quæ fuit olim acies videndi & audiendi in iuuene: ergo vnam speciem constituunt qualitatis.

Impotentia tripliciter distincta.

Resp.

Capitur nomen impotentiæ trifariam, vel
- *Negatiue, pro non potentia.*
- *Priuatiue pro defectu.*
- *Positiue pro qualitate, quæ subiectum imbecillum impotensque efficitur ad agendum, & sic hoc loco accipitur.*

Oppon.

Omnis qualitas debet sequi completam essentiam sui subiecti, nam subiectum accidentis actu esse debet sed potentia naturalis præcedit essentiam subiecti, nam verum est dicere, posse rem esse antequam est, ergo naturalis potentia non est qualitas.

Resp.

Duplex potentia.

Est duplex potentia, vel
- *Prima, quæ esse rei præcedit, de qua non agitur: nam illa est substantia,*
- *Secunda quæ operari facit, & hæc essentiam completam sequitur, vt vis in sole, quæ illustrat, non vis qua est & subsistit.*

Oppon.

Naturale id dicitur quod ortum habet a principijs indiuiduorum, aut quod primum inest indiuiduis. vt ait Porphyrius in communitatibus & differentiis prædicabilium, at propriæ passiones non oriuntur a principiis indiuiduorum sed specierum: ergo propriæ passiones non sunt huius generis.

Respondens.

Naturale dicitur, vel
- *Propriè, quod est vel*
  - *Ipsum principium, vt materia.*
  - *Res effecta, vt ignis.*
  - *Accidens innatum, vt calor.*
- *Communiter, quod ipsam naturam imitatur, & sic propriæ passiones, naturales potentiæ dicuntur, vt risibile, flebile in homine; hinnibile in equo.*

Naturale duplex.

CAP. XXIII.

De passione & passibili Qualitate tertia specie qualitatis.

Ratio ordinis

CVm in hoc tertio genere propria & germana obiecta sensuum reponantur, in quarto vero solum communia: vt propria communibus prius tractanda: ita illud genus in quo propria sunt, huic in quo communia tractantur, iure præmitti & anteponi debet.

NOTA.

Pulchrum est, non solum ordinem & methodum, qua vtitur Arist. in hoc genere animaduertere, sed etiam qua distinctione omnia in eodem ad viuum resecet, diligenter ponderare. Sunt, inquit, sub hac specie qualitatis omnia obiecta sensuum, omnesque affectus animi. Obiecta sensuum sunt passibiles qualitates, sic appellatæ, vt ait. non quod ipsæ patiantur quicquam, aut subiecta in quibus insunt, sed quod sensum feriant, & pulsent: sic colores aspectum, sic odores olfactum, sic sapores gustum, sic soni auditum, sic calor & frigus tactum afficiunt. Iterum alia in textu insinuatur distinctio, nempe quod hæ passibiles qualitates sint, vel a passione aliqua procreatæ, vt pallor infantis ex metu matris, dum eum vtero gestaret suo: vel naturæ vi vtcunque factæ, quæ in sensu passionem generant, vt dulcedo mellis delectationem, amaritudo fellis tristitiam. Hinc affectus animi, qui plerunque ex obiectis externis rerum excitantur, in hoc etiam genere definiuntur: quorum alij sunt diuturni, & permanentes, vt amor, odium, inuidentia: alij repentini, vt verecundia iuuenis, ira subitanea senis. Definitur ergo passibilis qualitas, affectio sensibilis vel animi vel corporis, nec cito orta, nec cito peritura: vel afficiens sensum, vt calor, vel mouens appetitum, vt amor. Definitur passio

Obiecta sensuum passibiles qualitates

Passibiles qualitates ortæ a passione.

Affectus animi.

Passibilis qualitas quid?

Passio quid?

sio etiam sensibilis qualitas, cito orta, citoq; peritura, leuiter afficiens sensũ, vt repentinus pallor ex timore, aut non diu vrgens appet.tum, vt subito incussus timor.

DISTINCTIO PASSIBILIS QVAlitatis, & Argumenta.

Passio accipitur, aut pro
- Effectu actionis, & sic constituit prædicamentum per se: est enim passio illatio effectusque actionis.
- Affectu
  - Animi, vt amor in appetitu
  - Corporis, vt calor in tactu.
  - & sic hoc loco accipitur.

Passibilis qualitas oritur vel
- A passione, vt pallor a metu.
- A natura, vt calor a bile, vel igne.

Dispositio passibilis qualitatis.

Passibilis Qualitas vel passio est
- Obiectum sensuũ externorum
  - Visibile, vt color, lux, lumen.
  - Audibile, vt sonus, vox, strepitus.
  - Odorabile, vt dulcedo, & amaror.
  - Gustabile, vt sapor.
  - Tangibile, quod est qualitas
    - Prima, vt
      - Calor frigus.
      - Humiditas, &
      - Siccitas.
    - Secunda, vt
      - Durities,
      - Mollities. &c.
- Affectus animi, vt.
  - Voluptas
  - Dolor
  - Spes
  - Metus
  - Quibus subiciuntur omnes reliquæ perturbationes animi, quæ 2. libro Ethicorum enumerantur.

Opponens.

Nulla passibilis qualitas inducitur in subiectum suum sine alteratione subiecti, vt lumen non cadit in aerem sine depulsione caliginis: sed non est alteratio subiecti nisi subiectum patiatur: ergo male dicit Philosophus in textu passibiles qualitates dici, non quod subiecta patiantur quicquam.

Resp.

Fatemur pati subiectum, id est recipere qualitatem impreßam: sed hic alio sensu passio dicitur, vt nimirum sensum moueat, & perficiat.

Opponens.

Omnis passio naturalis fit ex conflictu contrarij, sed hæc passio non fit: ergo propriè passio non dicitur.

3 Lib. Physicorum & 2. de ortu.

Resp.

Paßio est, alia
- *Corrumpens, ex conflictu contrarij.*
- *Perficiens, de qua hic agitur.*

Oppon.

Abstractæ species rerum sensibilium, vt idea coloris, idea hominis, feriunt sensum; sed non sunt res: ergo in hoc genere non reponuntur. Maior patet libro de sensu & re sensibili: minor est secundo de animo: quippe abstractæ species rerum, sunt intentiones, quæ in nullo prædicamento reponi possunt.

Resp.

Species rerum sensibilium, quibus ipsa obiecta sensibus offeruntur, eiusdem sunt naturæ cum suis primarijs obiectis quod dicat Philosophus 2. de animo, res non esse intelligit eas species, quæ ab animo solo percipiuntur. Nam ad modum recipientis omnia fieri solent, vt ait Boëtius.

Oppon.

Paßiones in textu negantur esse qualitates, negantur denominare subiectum quale, ergo male hic tractantur.

Resp.

Non negantur omnino, sed ex parte; quia minus firmiter inhærent, minusque firmiter etiam denominant.

Oppon.

Primaria obiecta visus (vt colores) non feriunt oculum: nam a suis subiectis non separantur; ergo non sunt sensibiles qualitates, vt patet ex definitione.

Resp.

Quamuis primaria obiecta (vt reales colores) a suis subiectis, (quibus inhærent) non separantur: species tamen quædam, vt ab illis fluunt motuque ipsius medij numerosius multiplicata deferuntur ad visum, & sic per species sensum immutant.

Oppon.

Species non sunt in primario subiecto: nam ab illo separantur: non sunt naturaliter in aere, quia in illo ad oculum (longo interuallo a re obiecta separatum) in ipso instanti mouentur: non sunt denique subiectiue in visu & quia est terminus quo clauditur res obiecta non subiectum quo continetur & quia est potentia in qua aliud accidens inesse non potest: nam sic accidens accidenti inesset.

Resp.

Species separatæ in aere, vt in medio & in subiecto, diuerso respectu continentur. Est enim aer medium vt defert est subiectum vt continet. Quod vero in instāti res longe separatas & distinctas cernimus, id euenit, & ex viuacitate oculi, & ex numerositate (vt ita dicam) specierum, quæ passim a rebus obiectis in aerem transfunduntur, ita vt, quocunque oculum conijcias medium distinctis rerum speciebus repletum videas, idque in proximo ad oculum non remote.

CAP. XXIIII.

De forma & figura, quarta specie Qualitatis.

QVarta species qualitatis apte nominatur forma, & circa hoc aliquid constans figura. Quippe omnes effigies & similitudines rerum, quæ vel a natura, vel ab arte proficiuntur, ad hanc speciem, vt ad propriam classem & sedem reuocari debent: a natura, vt erecta forma hominis: ab arte, vt statua depicta Cæsaris: illa actum, hæc situm; illa ordinem naturæ, hæc modum, & quasi penicillum artis respicit. Hinc in rebus a natura constitutis inesse formam; in rebus autem ab arte concinnatis inesse figuram dicimus. Respicit enim forma insitam essentiam, respicit figura assumptam mensuram; non est tamen hæc forma ex natura, nec est hæc figura ex dimensione subiecti: Vtraque vero est delineatio rei quantæ (vt aiunt.) Vnde definitur forma, quædam externa delineatio naturæ in rebus naturalibus aliqua quantitate præditis, necnon animatis, quæ internam formam imitata, ad hunc vel illum motum, ad hunc vel illum actum disponit subiectum, vt forma bipedis disponit hominem ad ambulandum. Definitur figura externa protractio seu delineatio artis in rebus artificiosis quantitate præditis, quæ non essentiam, sed nomen suo subiecto tribuit: sic domus, mensa, calceus, & denique quælibet res artificialis appellationem a forma per artificem introducta vendicat & sortitur. Hinc patet discrimen vtriusque nominis, iuxta versiculum:

Collatio formæ & figuræ.

Forma quid.

Figura quid.

Formam viuentis, pictam dic esse figuram.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA formæ & figuræ.

figura

Figura accipitur aut
- Mathematice, pro imaginationæ variarum protractionum, quales sunt circuli in cælo, species multiplices bestiarum in zodiaco.
- Dialectice, ijque vel
  - Pro dimensione, & sic est in quantitate, vt triangulus quadratum, &c.
  - Pro delineatione eiusdem dimensionis, & sic in hoc genere tractatur.

Distinctio figuræ.

Figura seu forma pro delineatione accepta est, vel,
- Naturalis vt in
  - Animatis, vt forma bipedis in homine, quadrupedis in leone, &c.
  - Inanimatis, vt forma externa lapidis, gemmarum, &c.
- Artificialis, vt figura, domus, vestis, calcei, &c.

Oppon.

Protractio nihil aliud videtur quam quædam dimensio, quæ est est quantitas, sed omnis forma, omnisque figura est quædam protractio: ergo nihil aliud est quam dimensio, & proinde sequetur nihil reale addi quantitati per formam & figuram in qualitate.

Oppugnatio 4. speciei.

Resp.

Aliud est mensuratum, aliud figuratum dicere: Hinc patet aliquid addi reale quantitati per figuram: exempli causa: ferrum quantum a se est: at per figuram securis aut gladij insculptam, nouum habet nomen, nouam quasi naturam induit.

Oppon.

Nullum artificiale est in prædicamento: ergo figura quæ est in rebus artificialibus non est species huius prædicamenti.

Resp.

Cum ars ipsa siue sit ingenua & liberalis siue sit mechanica & seruilis, comprehenditur sub habitu qui est primum genus huius prædicamenti non video cur minus artificiale sub alio genere ex imitatione naturæ possit contineri: ars enim imitatur naturam illamque sæpe perficit.

Opponens.

Forma & figura subiecto differunt, nam forma animato & naturali, figura inanimato & artificiali inest, sed accidentia quæ eidem subiecto inesse non possunt natura differunt ergo forma & figura natura differunt, & ex consequente eandem speciem qualitatis non constituunt.

Resp.

Vt diuersitas accidentium non arguit diuersitatem subiecti, cum accidentia diuersorum prædicamentorum vni subiecto simul inesse possint, ita diuersitas subiecti diuersitatẽ naturæ in accidentibus non probat: exempli causa, est splendor in igne, splẽdor in sole & tamen hic ab illo in natura luminis non differt, quia vt ait Arist. vnum radium numero vterque facit. Quare etsi subiecto forma et figura differunt, natura tamen inde distingui non probantur. Aliter respondetur, quod formatis animato figura in animato inesse dicantur, non essentialis, sed accidentalis distinctionis causa: Quippe in corpore Socratis quatenus aptum est ad hunc vel illum motum dicitur inesse forma: in eodem vero corpore, quatenus pro mensurato, non pro animato consideratur, dicitur inesse figura sic forma & figura eidem subiecto insunt sed diuerso respectu, qui respectus non mutat naturam in absolutis, quamuis in respectiuis mutet.

Oppon,

Qualitas per quale in fronte capitis definitur: Quale, per qualitatem in calce definitur: ergo videtur esse circularis definitio petitioque principij.

Resp.

Prohibetur circulus in definitione rerum, nisi sit in diuerso genere cognitionis, qui

ordo hic obseruatur; nam qualitatem per quale ordine disciplinæ, quale per qualitatem ordine naturæ definit, qui tum tandem facile intelligitur cum ordo disciplinæ prius obseruetur.

CAP. XXV.

De duabus Communitatibus & vna proprietate Qualitatis.

Conuenientia cōmunitatū duarum.

COmmunitates Qualitatis sunt duæ; suscipere aduersa, adeoque magis & minus: vna autem est proprietas res similes & dissimiles nominare. Communitates duæ conueniunt qualitati primo modo, id est, soli qualitati per se. Actioni vero & passioni per accidens, nimirum ratione qualitatis: nam ideo calefactio & frigefactio dicuntur contrariæ, quia calor & frigus, quæ sunt Qualitates inter se pugnant. Definiuntur aduersæ, hoc loco qualitates positæ sub eodem genere, maxime a se inuicem distantes, quæ agendo & patiendo mutuo se expellunt ex eodem subiecto capaci vtriusque, nisi vna earum insita sit natura. Sic æstatis calor, hyberni frigoris procellas ab aere, qui est subiectum vtriusque fugat abigitque. At tenebræ splendorem a cælo, frigus calorem ab igne non expellit, quia splendor solis, calor ignis naturam sequitur.

Aduersæ qualitates.

Suscipere magis & minus quid.

Susceptio magis & minus est nihil aliud quam in remisso gradu aduersarum Qualitatum impar & inæqualis permistio, idque in eodem subiecto: nam quamuis intense, vt aiunt, simul contraria in eodem cohabitare nequeant: remisse tamen sæpe in eodem cernuntur: sic homo valde frigidus accedens ad focum, vim ignis confligantem cum frigore sentit: quæ conflictatio ex intentione & remissione repugnantium qualitatum facta non cessat: donec æstus ignis immanitatem frigoris multis gradibus superauerit: nec non & ipsum frigus totum a subiecto penitus dispulerit. Proprie hæ duæ communitates qualitatibus tertij generis conueniunt. Hinc illud animaduersione dignum est, quod plurimis in tertio genere, paucis in primo, perpaucis in quarto, nullis in secundo conueniant istæ communitates. Plurimis in tertio, vt primis & secundis qualitatibus, quæ vi sua actiuæ & passiuæ dicuntur: paucis in primo, vt virtuti vitio, scientiæ & ignorantiæ: Perpaucis in quarto, vt recto & curuo, raro & denso; Nullis in secundo, quia in eo solum potentiæ sunt, quæ inter se nullo modo contrariantur, & proinde nec intenduntur, nec remittuntur, quia intentionis & remissionis causa est sola contrariorum susceptio. Si obiicias risibile & flebile, quæ videntur repugnare; respondeo simul inesse vt sunt potentiæ: nam is, qui ridet est flebilis, & is qui plorat est, risibilis.

NOTA.

Denominatio similis & dissimilis, quomodo conueniat.

Denominatio similis & dissimilis, non aliter qualitati conuenit, quam denominatio æqualis & inæqualis quantitati. Hinc recte definitur similitudo rerum diuersarum eadem qualitas in specie. Dissimilitudo vero rerum diuersarum diuersa qualitas. Sic Cicero & Demosthenes similes in eloquentia: sic Plato & Gryllus dissimiles in sapientia nominantur. Nam alter sapiens, alter stultus fuit.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA

Proprietatum.

Diuersa

Diuersa contraria sunt vel,
- Sub eodem genere proprijssime, vt candor & ater sub colore.
- Sub diuersis generibus, vt virtus sub bono, vitium sub malo.
- Ipsa diuersa genera, vt bonum, malum.
- Media cum altero extremorum comparata, vt liberalitas respectu auaritiæ. Nota quod hæc omnia in hoc genere intelligantur.

Oppon. *Oppugnatio.*

Mediis (vt inquit Aristoteles in textu) nihil est contrarium: ergo falsa est distinctio.

Respondens.

Media non sunt aduersa respectu vtriusque extremorum, quia vnum vni contrariatur, at respectu vnius sunt, nam medium comparatum cum extremo habet rationem extremi.

Opponens.

Quicquid cadit in speciem cadit in genus, 2. Topicorum Capite 1. & 2. sed suscipere contrarium cadit in speciem qualitatis: ergo in ipsum genus caderet, at generi summo huius Categoriæ nihil est contrarium.

Resp.

Quicquid cadit in speciem cadit in genus, nisi sit conuertibile cum specie, vt Rationale cum homine, vt suscipere contrarium cum specie qualitatis.

Opponens

Nihil suscipit contrarium nisi ratione subiecti, teste Philosopho 6. Metaph ergo per se non suscipit Qualitas.

Intelligitur locus de susceptione materiali, nō formali & obiectiua qua hic definitur

DISTINCTIO SECVNDÆ Communitatis.

Distinctio. 2 Communitatis.

Suscipit aliquid magis & minus, aut.
- materialiter idque vel
  - Subiectiue, vt materia, & sic vna substantia est maior altera.
  - Extensiue, vt mensura, sic quantitas quodam modo suscipere dicitur, vt supra.
- Formaliter aut,
  - Per se, sic sola qualitas in concreto.
  - Per accidens, sic actio & passio ratione Qualitatis,

Opponens. *Oppugnatio secunda.*

Concretis conuenit hæc proprietas: ergo & abstractis, quia concreta & abstracta sunt coniugata.

Resp.

Quicquid conuenit vni coniugatorum secundum primariam significationem, illud conuenit alteri: sed suscipere magis & minus, est tantum primaria significatio.

Oppon.

Summus calor, summum frigus nunquam intenduntur: ergo primis qualitatibus intendi & remitti non conuenit.

Resp.

Non intenduntur in simplici corpore cui sunt innatæ sed in mixto intenduntur & remittuntur, cui vi naturæ sunt infixa. At tum non sunt intensæ: fateor, satis enim est, si in remisso gradu hoc fiat: Cæterum in mixto eædem qualitates natura non videntur quæ fuerant in elementis. Ratione quidem & gradu differunt, quia sunt retusæ, non natura, quia non sunt extinctæ. *Anticipatio obiectionum.*

DISTINCTIO TERTIÆ
Proprietatis.

Distinctio 3. proprietatis.

Similitudo accipitur aut, { Fuse pro omni rerum omnium comparatione, & sic est in omni prædicamento. Stricte pro qualitate, & sic est solum in hac categoria.

Oppon.

Coppugnatio tertia.

Similitudo & dissimilitudo definiuntur in abstracto esse qualitates, sed non sunt quippe in relatione ponuntur: ergo male traditur ista proprietas.

Resp.

Est necessitas consequendi non prædicandi, vt supra de æqualitate diximus in fine Quantitatis.

Opponens.

Similitudo est relatio, sed relatio est quiddam disparatum a qualitate: ergo non est necessitas consequendi vtriusque.

Resp.

Similitudo hic potius pro effectu Qualitatis, quam pro formali relatione accipitur & sic vt effectus sequitur suam causam.

Finis Qualitatis.

CAP. XXVI.
De Actione.

7. Phys. Artis progressio celerior in fine

VT motus naturæ velocior ac inciatior est in fine, quam in principio; ita progressio artis, quæ imitatur naturam, velocius clauditur quam inchoatur. Ratio est (ni fallor) quia principiis cognitis (quæ sunt difficillima) omnia quæ sequuntur apparebunt facillima: inde iam olim contigit, vt opinor, quod Aristoteles in quatuor primis Categoriis discutiendis, longiore dicendi filo vsus, nunc de sex postremis dicturus, vix quidem sex lineas addiderit. Nimis festinanter id factum esse fortasse dices: non sane, si ordinem Dialecticum (qui ex his satis iam perspicitur) consideres: sin vero horum vsum in Philosophia perquiras: Respondeo, non esse huius loci de eo disputare. Cæterum, ne vel nimia breuitate simus obscuri, vel nimia verbositate simus molesti, media veluti insistemus via: Attende ergo bone lector, quid de singulis suo loco & ordine dicamus.

Ordo actionis. Definitio actionis.

Actio naturæ ordine Pasionem præcedit: est enim passionis causa, vnde a Gilberto Porretano (qui copiose de istis scripsit) his verbis definitur. Actio est forma aduentitia & comparata secundum quam transeuntem in id, quod subiicitur, agere dicimur formaliter & secundum potentiam. Per formam aduentitiam & comparatam, omnes internæ & absolutæ formæ excluduntur: Per alteram partem definitionis, nempe, secundum quam transeuntem, actionis immanentes reiiciuntur: per, Id, passum: Per, Nos, omnes res aliæ quæ agere possunt insinuantur. Postremo per duas vltimas voces in calce definitionis, vtpote formaliter, & secundum potentiam, intelligitur modus agentis, qui est per qualitatem, vt per causam, & per potentiam, vt instrumentum: sic fit calefactio ignis ex calore, tanquam ex causa: & ex potentia agentis tanquam ex instrumento.

Diuisio actionis.

Diuiditur tamen actio in actionem transeuntem, quæ hoc loco solum, vt facilior, definitur: & in actionem immanentem quæ propter difficultatem in definitione omittitur.

Com.

Communitates actionis sunt duæ: Prima, suscipere contrarium. Secunda, magis & minus: quæ conueniunt ei ratione qualitatis, vt supra exposuimus. *Communitates.*

Proprietates sunt: Prima, vt omnis actio sit in motu: Secunda, vt per motum proxime in aliud, id est, in passum vim suam imprimat. *Proprietates actionis duæ.*

DISTINCTIO ET ARGVMENTA Actionis

Actionis distinctio.

- Actio præcedit passionem, vel quia
  - Est passionis causa.
  - Digniorem partem subiecti respicit, nempe formam; nam secundum formam agere dicimur, pati secundũ materiam.
- Significatio actionis est, vel
  - Materialis, quæ est subiecti, vt generatio,
  - Instrumentalis, quæ est qualitatis, vt alteratio,
  - Formalis quæ est,
    - Animæ
      - Vigentis vt nutritio, augmentatio.
      - Sentientis, vt visio, auditio.
      - Intelligentis, vt intellectio, recordatio.
    - Corporis
      - Simplicis, vt
        - Calefactio, in igne.
        - Frigefactio, in aqua.
      - Mixti, vt dealbatio, denigratio.
- Agimus, aut
  - Effectiue secundum animam, quæ est principium agendi.
  - Directiue secundum artem.
  - Formaliter, secundum potentiam agentis, & sic hoc loco intelligitur.
  - Instrumentaliter per instrumentum, aut
    - Separatim, vt per securim.
    - Coniunctim, vt per manum.

Agimus quatuor modis.

Oppon.

Actio imminens in ista definitione non continetur: ergo male in genere definitur actio: antecedens patet, quia imminens actio non transit, sed remanet quasi reflexa in suo agente, vt recordatio, volitio, intellectio. *Oppugnatio actionis.*

Resp.

Notandum est, quod a notiore hæc sex postrema prædicamenta definiantur: cum ergo actio transiens sit notior, illa sola definitur.

Opponens.

Actio, vt ait Philosophus 3 Metaphysicorum est in motu, sed motus est in mobili, vt illic docet: ergo non est in agente, quod est mouens.

Resp.

Est in motu, vt in medio: est in agente, vt in subiecto.

Oppon.

Actio est motus: ergo non est in motu, nam tum idem esset in seipso.

Resp.

Actio est motus communiter sumptus non proprie.

Oppon.

Est proprium actionis inferre passionem: sed multa sunt actiones, quæ passionem non inferunt: vt intellectio, volitio, contemplatio: ergo male a Gilberto illud assignatur proprium.

Resp.

Duo illa propria de actionibus transeuntibus, non imminentibus traduntur.

Finis Actionis.

CAP. XXVIII.

De Passione.

Quæ communia passioni & actioni.

SPinosiora si quæ sint in hoc prædicamẽto ex illis quę disceptata sunt de actione facilime intelliguntur: quippe præter definitionem, omnia actioni & passioni sunt communia. De ordine nemo dubitare potest, cum passio sit actionis effectus: effectus autem sequitur causam. Multiplex eius significatio in tertio genere qualitatis patet. Diuisio eadem est cum diuisione actionis, vt alia sit animæ, alia corporis: communitate denique ab actione non distinguitur; nam vt illa contrarium, magisque & minus ratione qualitatis suscipit, ita & hæc complectitur. Quid ergo restat, nisi vt definitionem eius quam paucissimis adumbremus. Est igitur passio (illatio, quia infertur, & effectus, quia relinquitur) fluentis actionis, id est, agentis formaliter in passum, quod est subiectum passionis: nam vt ignis qui agit, est subiectum calefactionis fluentis: ita aqua, quæ vim recipit e subiectum calefactionis impressæ: sic calefactio existens in igne est actio, in aqua vero recepta, passio dicitur. Germanæ passionis proprietates sunt duæ: vna esse agentis terminum, altera inferri ab agente per motum.

Definitio passionis.

Proprietates duæ germanæ passionis.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA passionis.

Passio quinque modis accipitur.

Passio accipitur, aut pro
- Qualitate fluente a principijs alicuius rei, vt, risibile in homine.
- Motu appetitus, qui animi passio dicitur, vt amor, odium.
- Pœna inflicta, vt passio Christi.
- Specie alicuius sensibilis qualitatis, vt intentio candoris quę ferit oculum.
- Effectu actionis fluentis ab agente in passum, & sic hoc loco accipitur.

Passio est, vel
- Animi, vt gaudere, dolere, videre, audire: quæ verba etsi videntur esse actiua, passiuam tamen apud Philosophos significationem habent.
- Corporis, vt secari, vri, vapulare, &c.

Opponens.

Passionis oppugnatio.

Passio est effectus actionis: ergo non est summum genus, nam effectus posterior causa esse debet.

Resp.

Passio est effectus actionis in genere causæ efficientis, non in genere causæ materialiter & formaliter constituentis.

Oppon.

Actio & passio sunt vnus idemq; numero motus, vt ait Philosophus in 3. Physicorum, ergo non sunt distincta prædicamenta.

Resp.

Sunt vnus motus in progressione naturæ non in terminis vt loquuntur Philosophi exẽpli causa: Pluit calfactio ab igne tepescit aqua; dum adhuc non superatur: dispelliturq; frigus ab aqua: actio & passio simul coeuntes in liquore tepido vnum efficiunt motum: at vt calfactio incipit ab igne, vt a termino a quo: desinit vero in aquam vt in terminum ad quem: natura & prædicamento differunt. Hæc omnia huc tendũt: si actio & passio pro fluxu mouentis mobilisq; sumantur, sunt vnus motus: si vero

pro actu effectuque agentis, sic differunt natura, & prædicamento distinguuntur.

Oppon.

Definitio passionis conuenit vulneri & calori, quia vulnus est effectus vulnerationis & calor effectus calfactionis: ergo male definitur.

Resp.

Vulnus & calor non sunt proximi & immediati effectus quales passiones esse debent, vt patet per proprietatem actionis, quæ est, vt proxime per motum inferat passionem.

Finis Passionis.

CAP. XXIII.

De Vbi.

Penuria & defectio nominis, magni sæpe causa est erroris: vnde secta illa Nominalium delirasse videtur, quæ Vbi & Quando inter prædicamenta numeranda non esse putarit, quia germana nomina illis, vt cæteris imposita non fuisse viderit. Sed parum attente obseruant alias res infinitas desiderio nominum laborare, pariq; ratione, si illis credamus, a rerum finibus sedibusq; exterminari. *Nominalium delirium.*

Sed istis relictis, dico per ista aduerbia loci & temporis, abstracta quædam optime intelligi ac insinuari. Vbi igitur non pro interrogatione loci, sed pro quadam habitudine rei in loco acceptum sic definitur. *Significatio Vbi.*

Vbi est circumscriptio, id est, externa comparatio, corporis, id est, corporeæ substantiæ simplicis vel mixtæ, a loci circumscriptione procedens, id est a loci ordine & habitudine suscepta: sic Platonem in Schola philosophari, Ciceronem in foro perorare dicimus. *Vbi definitio.*

Vbi sic definitum diuiditur in Vbi compositum, quod hic, vt notius explicatur: & in Vbi simplex quod est relatio substantiæ incorporeæ ad indiuisibilem locum: non quod locus vllus sit indiuisibilis, cum omnis sit continuus, sed quod spiritus, qui definite huic vel illi loco ad tempus alligatur, indiuisibiliter & non circumscripte in loco maneat: vt anima humana pro periodo vitæ naturalis in capite, vt in cælesti quadam Sphæra solioque habitat. Communitates easdem habet Vbi cum fundamento suo, nempe non suscipere contrarium, non suscipere magis & minus. *Vbi duplex.*

DISTINCTIO ET ARGVMENTA VBI.

Vbi accipitur, aut
- Interrogatiue pro aduerbio interrogandi.
- Definite pro ipso loco.
- Relatiue pro comparatione loci ad corpus locatum, & sic hoc locato definitur.

Distinctione Vbi.

Est aliquid in loco
- Circumscripte, vt corpus, quod circumcingitur loco.
- Definite, vt animus, qui ad tempus manet in definito & certo loco.
- Complete, vt Deus, qui complet omnem locum.
- Comparate, vt accidens, quod comparatione subiecti corporis est in eodem loco cum corpore, cui inest. Hinc illud, motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis, id est, accidentia.

Vbi est, vel { Compositum, quod hic definitur, vt potius. / Simplex, quod ante a nobis explicatur.

Opponens.

Oppugnatio Vbi.

Vbi simplex non est circumscriptio corporis: ergo male definitur. Antecedens probatur, quia sola incorporea substantia in vbi simplici continetur.

Resp.

Vbi compositum solum, hic definitur, & sic de Quando dicendum est quod etiam a notiore definitur.

Oppon.

Vbi a loco, & a re in loco existente oritur: ergo realiter ab illis differre nō videtur

Resp.

Vt imago ceræ impacta sit quidem ex cera & sigillo quæ tamen, nec cera, nec sigillum est, sed quiddam distinctum ab vtroq; ita vbi fit ex loco & ex re in loco existente, non est tamen aut locus aut res in loco, sed quiddam re & natura distinctum ab vtroq.

Oppon.

Circumscribi est mensurari: ergo circumscriptio est quædam dimensio: quo concesso sequetur, quod vbi sit quantitas.

Resp.

Dicitur Vbi circumscriptio, non quod ita sit, sed quod sine circumscriptione esse nō possit. Est autem a natura quædam circumscripti corporis habitudo.

CAP. XXIX.

De Quando.

Communia omnia Vbi cum Quãdo.

VT inter Actionem & passionem multa, ita inter Vbi & Quando non pauca sunt communia. Mutato enim nomine, non significatione, nec diuisione, nec proprietate differunt. Non significatione: nam vt vbi respectu loci, ita quando respectu temporis, aut pro interrogatione aut pro duratione, aut pro relatione rei existentis sumitur. Non diuisione: nam vt Vbi in simplex & compositum respectu substantiæ existentis in tempore distribuitur. Non denique proprietate: nam vt vbi nec contrarium, nec magis & minus respectu fundamenti suscipit, ita nec Quando propter similē rationem admittit. Sequitur ergo, vt hoc illi rectissime succedat: in quo tractando, reliqua omnia vt nota, tacitus prætermittam, solamque definitionē paucissimis referabo. Est ergo Quando adiacentia: id est, externa quædam applicatio (temporis:) id est præteriti, præsentis, aut futuri (ad rem temporalem) id est, ad rem existentem & comparatam in tempore: quæ res, si sit corporea, est in Quando composito: si vero incorporea, vt spiritus est in Quando simplici: quod est habitudo rei incorporeæ incorruptibiliter subsistentis in tēpore: vt anima hominis pro certo modo vitæ humanæ dicitur in præscripto, ac definito tempore periodi, ad quā comparatur. Sic manet in Gabriele Archangelo habitudo illius temporis, in quo salutauit Mariam.

Definitio Quando.

Proprietas Quando.

Præter duas communitates quas habet ratione fundamenti, vnum habet proprium, nempe adiacere omnibus quę initium vel generationis, vel creationis habent; generationis, vt planta; creationis, vt Platonis anima.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA Quando.

Quando

Quando est { Compositū, quod est { Præteritum, vt heri fuisse tonitru. Præsens, vt nunc fieri fulmen. Futurum, vt, cras fore eclipsin. } Simplex, quod est, habitudo incorporeæ substantiæ incommutabiliter subsistens in tempore: sic dicimus ad certum tempus Angelum descendisse in aquam, qua lanabantur ægroti. } Distinctio quando.

In tempore aliquid est { Incommutabiliter, aut { Infinite, vt Deus. Definite, vt Angelus. } Commutabiliter, vt omnia caduca in substantia: quorum tempus edax dicitur. }

Oppon.

Accidentū est actu inesse subiecto, sed quando adiacere, non inesse dicitur: ergo non est accidens. Oppugnatio Quando.

Resp.

Adiacens accidens dicitur, non quod non inhæreat, sed quod ei, cui applicatur, non inhæreat, vt locus: qui corpori locato adiacere, corpori vero locanti inhærere dicitur. Sic Quando tempori adiacet, rei vero in tempore existenti inhæret.

Oppon.

Tempus præteritum non est, sed Quando præteritum dependet a tempore præterito: ergo Quando præteritum non est.

Respondens.

Etsi tempus præteritum non est, temporis tamen præteriti habitudo (quæ est ipsum Quando) in re & esse & manere potest: exempli causa: Etsi sexagesimus hinc annus, annus non est, sexagesimi tamen anni relatio in sene sexagenario esse potest.

Oppon.

Angeli non mensurantur tempore: ergo Quando, quod est adiacentia temporis relicta in re temporali, non est in Angelo.

Resp.

Etsi Angeli non mensurantur tempore, relatio tamen temporis esse potest in Angelo respectu huius vel illius actionis, quæ inchoatur clauditurque tempore.

Finis Quando.

CAP. XXX.

De Situ.

Situs vim naturæ in disponendis partibus respicit. Habitus ornamenta naturæ artisque eisdem partibus accommodat: iure igitur situs habitum præcedit. Nam partes prius & esse & disponi debent, quam ornari & perpoliri possint. Non hic pro loco, non pro designatione partium in loco, sed pro comparatione partium ad differentias loci nomen situs accipitur, definiturque hoc modo, Situs est ordinatio, id est, præscriptus ordo, & concinna dispositio (generationis partium) id est, partium naturalium (secundum differentias loci) id est, secundum sursum, deorsum, ante pone, dextrum & sinistrum. Sic caput hominis sursum, pedes deorsum: sic cœlum sursum, centrum deorsum esse dicimus. Attente animadvertendum est hic solum naturalem situm, vt quiddam notius communiusque definiri; est tamen artificialis etiam situs, qui definitur ordo partium per artem dispositarum; sic fundamentum deorsum in domo esse dicitur. Ordo Situs. Definitio Situs.

Communitates situs.

Duas communitates habet situs, non suscipere contrarium, non suscipere magis & minus. Vnum quoque proprium habet; nempe ordinem naturæ & artis, in disponendis partibus, significare.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA Situs.

Situs distinctio

Situs capitur, aut pro
- Loco, sic dicimus vrbem bene sitam esse, id est habere salutarem locum.
- Designatione partium in loco vel corpore, & sic est affectio quædam quantitatis,
- Ordinatione naturę in disponendis partibus & sic hoc loco definitur.

Situs duplex

Situs est vel,
- Naturalis vel
  - Per se in partibus, vt
    - Caput sit sursum.
    - Vmbilicus in medio.
    - Pedes sint deorsum.
  - Per accidens in modo, vt
    - Sessio.
    - Statio.
    - Accubatio.
- Artificialis, vt tectum sursum, fundamentum deorsum dicitur.

Oppugnatio Situs.

Oppon:

In monstro est error naturæ: ergo situs eiusdem non est ordo partium secundum vim naturæ dispositarum: vim enim natura errans in ordine non exercet.

Resp.

Excluditur monstrum a situ naturali, secundum aliquos, quia non est ex prescripto, sed ex errato naturæ. cæterum dicendum est, quamuis ordinem partium secundum particularem naturam non habet: habet tamen ordinem partium secundum beneplacitum vniuersalis naturæ.

Oppon.

Arboris radix sursum dicitur ab Arist. in libris de cælo: ergo omnis situs sursum non tendit a centro cælum versus, vt definit in Physicis.

Resp.

Sursum capitur, aut pro
- *Principio nutritionis & augmentationis, & sic radix est sursum, vt os hominis.*
- *Principio dimensionis respectu totius vniuersi, & sic vertex est sursum.*

Opponens.

2 Lib de Cælo.

Omnia corpora non habent differentias loci, vt ait Arist. secundo de cælo, ergo omnia non habent situm Ratione probatur antecedens, quia sola ea corpora dicuntur habere situm, quæ habent locum: sed cælum non habet locum, nihil enim est extra cælum, ergo cælum non habet situm.

Respondens.

Omnes differentiæ loci sunt solum in homine: in reliquis autem satis est. si ad aliquam differentiam loci comparentur: quare, etsi cælum capaciorem locum extra se non habet, vnaquæq; tamen pars cæli sursum esse dicitur respectu hominis, quod est satis ad ordinem situmque partium.

Oppon.

Situs prius de naturali situ. quam de artificiali dicitur: sed id genus est destruendum, quod prius de vna specie, quam de alia prædicatur: ergo situs non est genus: Maior probatur, quia natura præcedit artem: Minor est Aristotelis 4. libro Topicorum

Resp.

Ars quidem sequitur naturam, attamen naturale non est prius artificiali si simul vel actu vel potentia in genere suo considerentur.

Finis Situs.

CAP. XXXI.

De habitu.

ME valde tenet solicitum in hac vltima quasi scena anceps de habitu Interpretum sententia. Eorum enim tam ingenio acutissimi, quam grauissimi iudicio, in hoc prædicamento tam exilem entis rationem esse arbitrantur, vt potius merum respectum, ac intentionem in mentis, quam rem dicendam esse haud dubitanter dixerint. Cæterum, in illam lancem pondus, si quod sit, reponens meum quam Thomas Aquinas tenet: Habitum definio, rem esse, quæ corporis & naturæ decorum intuetur. Vestiuit enim natura omnia a se parta & suscepta opera: Squamas pisci, plumas aui, hirsutos pilos leoni dedit: quæ omnia habitum naturæ præ se ferunt. Quippe in natura rerum hæc duo considerari debent, necessitas, & ornatus: in illa essentia, in hoc dignitas & ordo perspicitur; exempli causa: dedit caput homini necessario: at palpebras oculorum & barbam ad decorum & ornatum dedit: sic folia & flores sunt in planta; sic lucentia sidera sunt in cælo; quorum sane omnium relatio ad sua subiecta habitus naturæ dicuntur. Recte igitur definias habitum esse adiacentiam: id est, tam naturalium, quam artificialium, & eorum quæ circa corpus sunt; id est, ornamentorum, & indumentorum, quæ vel a natura pariuntur, vt barba in homine, dens in Elephante: vel quæ ab arte inueniuntur, vt lorica in pectore, corona in capite, vestis in toto corpore. Hinc dentatum esse, armatum esse, vestitum esse, species habitus esse interpretamur. Communitates habitus duæ sunt; 1 non suscipere contrarium. 2 suscipere tamen magis & minus, sed improprie. Postremo vna traditur proprietas significare decorum naturæ & artis in omni substantia, necnon in pluribus simul existere.

Parum entis in habitu

Definitio habitus ex Aquinate

Definitio Habitus.

Communitates duæ.

DISTINCTIO ET ARGVMENTA

Habitus

Distinctio Habitus.

Habitus sumitur, vel
- Confuse pro re omni habita, & sic constituit vltimum Postprędicamentum.
- Distincte aut
  - Absolute pro
    - Acquisita qualitate, & sic est primum genus qualitatis, quod dicitur Habitus.
    - Innata potentia, quæ opponitur priuationi sic visus habitus, cæcitas priuatio nominantur.
  - Comparate, & sic hoc loco definitur.

Diuiditur habitus in
- Naturalem, qui est relatio ornamenti naturalis ad rem naturalem, vt barbatum esse virum, stellatum esse cælum.
- Artificialem, qui est relatio ornamenti artificialis ad rem, vel naturalem, vel artificialem, vt, togatum esse, calceatum esse.

Oppon.

Oppugnatio Habitus.

Omne prædicamentum est ens rei sed habitus est applicatio ornamenti quæ fit solum ab intellectu: ergo habitus non est prædicamentum.

Resp.

Etsi applicatio ornamenti ad rem ornatam, vestimenti ad rem vestitam, videtur quidem tota ab intellectu & proficisci & dependere: non tamen ita est, si impense rem consideres: sunt enim ornatus rerum sine intellectu, vt splendor in gemma, stella in cælo, flos in planta. Hæc ornamenta haud dubie ab ipsa natura sine ope intellectus rebus accommodantur. Est ergo habitus ens rei extra intellectum in rebus existens: & sic recte vnum inter prædicamenta annumerari potest. Sed expedi mihi hoc dubium: qui potest habitus artificialis esse ens rei, cum et ars ipsa, & res artificialis applicatio in solo intellectu reponantur. Respondeo omnia in intellectu posita, non esse entia rationis: sic omnes scientiæ, omnes virtutes, omnes potentiæ animi essent entia rationis. Dico igitur habitus artificiales esse quidem effectiue in animo, esse subiectiue in rebus, a quibus essentiæ suæ realis vim & naturam sortiuntur.

Habitus est ens rei extra intellectum

Replicatio.

Solutio.

Opponens.

Negata causa, negatur effectus: sed causa suscipiendi magis & minus negatur in habitu, nempe suscipere contrarium: ergo negatur effectus, nimirum suscipere magis & minus.

Resp.

Suscipere magis & minus res potest dupliciter.

Susceptio magis & minus est vel,
- *Propria, quæ fit ex conflictu contrariorum, & hæc est in sola qualitate.*
- *Communi, quæ fit ex maiore aptitudine subiecti ad agendum, & sic in habitu, vt armatus aptior est ad pugnā, quā inermis*

Oppon.

Vestitum esse & nudum esse sunt contraria: ergo & habitus suscipit contraria.

Resp.

Non sunt aduersa sed priuantia.

Oppon.

Fieri non potest, vt idem accidens numero simul in pluribus existat: ergo vltima proprietas habitus, male statuitur, quæ requirit, vt habitus simul existat in pluribus.

Resp.

Requiritur, vt habitus in pluribus simul existat: quo non intelligitur, vt simul in duobus subiectis insit, sed vt in vno effectiue tanquam in causa vel termino: In altero inhæsiue tanquam in subiecto hæreat.

Finis decem Prædicamentorum.

CAP. XXXII.

De Postprædicamentis.

NOn institui (bone Lector) Sophistarum armenta sequi: eorum enim dogmata, aut, vt verius dicam, paradoxa mihi in Dialectica non placent. Nam quamuis de multis valde subtiliter Ioannes ille istorum antesignanus scripserit: ita tamen aut barbarie dictionis, aut circumstantiarum multitudine res omnes obscurauit, vt vel Apolline Lectore, vel Oedipo interprete semper indigere videatur. Quorsum hæc? vt intelligas istos Stoicos interpretes, sicut in multis alijs, ita in his præceptis (quæ iam agimus) esse fugiendos. Nam sane, vt in alijs errasse, ita in his omnino delirasse existimes. Aliqui enim eorum pertinaciter defendunt, Aristotelem hæc Postprædicamenta non scripsisse: aliqui

Scotus in tenebris.

Ancipites sententiæ Scotizantium.

aliqui dicunt scripsisse quidem, sed secundum sententiam Archiæ cuiusdam philosophi: aliqui affirmant scripsisse, non vt Postprædicamenta, sed potius addidisse reliquis, vt noua prædicamenta. Hinc est vulgaris ille illorum error, quod oppositio & motus inter Postprædicamenta sint vera, summaque genera. Sed quid ago? Si quo me trahunt sequerer, nullum exitum orationis inuenirem. Placet ergo in expositione pergere. Instituuntur Postprædicamenta, vt omnia quæ reducuntur ad categorias, omniaque earum propria rectius intelligantur. Nam vt Antepraedicamenta a priore per causas cognitionis, ita Postprædicamenta a posteriore per effectus (qui sunt proprietates quædam) ad prædicamenta valent; sæpe enim oppositorum, sæpe priorum & posteriorum; sæpe eorum quæ sunt simul, sæpe motus generum in illis explicandis facta erat mentio. De his ergo opportune agit Philosophus, vt quo modo, quo ordine, qua ratione sint in prædicamentis perspectum habeamus. Ridicula est illa Ramistarum coniectura, non fuisse opus Arist. quia nomen non apposuit: quasi vero illud esset necessarium, cum sic veluti appendit ad eam partem, quam de Categoriis scripsit: si minus Latine inuentum nomen delicatas aures offendat, licere Philosopho aliquando apta nomina de nouo excudere interpretationis causa, cupio vt intelligant.

Cur instituuntur Post prædicamenta.

Ramistarum coniectura ridicula, Arist. cap. de Relatis.

DISTINCTIO GENERALIS Postprædicamentorum.

Distinctio postprædicamentorum.

Postprædicamentorum
- Aliud respicit motum, idque vel
  - Per repugnantiam contrarij, & sic est oppositio.
  - Per mutationem subiecti, & sic est motus.
- Aliud respicit quietem, eandemque.
  - Causarum & effectuum, sub qua modi priorum.
  - Similium & cognatorum in genere, sub qua modi simul.
  - Omnium existentium in substantia, sub qua modi habendi continentur.

Postprædicamentum est regula cognitionis, qua ad completam notitiam prædicamentorum rerumque in prædicamentis peruenitur, idq; a posteriori per effecta, & proprietates.

Postprædicamentum quid.

Oppon.

Quod facilius aliquid reddit, præcedere debet, ergo Postprædicamentum præcederet categorias.

Resp.

Postprædicamenta conducunt ad cognitionem propriorum in Prædicamentis, quæ ipsa sunt posteriora, quare inde sequuntur omnia.

Oppon.

Motus omnem essentiam rerum præcedit (nam per motum acquiritur omnis forma omnisque mutatio rerum) ergo motus a posteriore non valet.

Resp.

Et si motus præcedat multo tempore, non tamen perfectione & natura.

DE OPPOSITIS.
CAP. XXXIII.

An sint quatuor genera Oppositorum.

Ordinis causa.

CVM in singulis Categorijs Oppositorum facta sit mentio, reliquis Postprædicamentis, hoc vnum de Oppositis est merito anteponendum: tum propter communitatem naturæ, tum propter frequentem vsum nominis varijs modis accepti. Sed attende diligenter non agi hic de repugnantia propositionum, quam antea in primis elementis descripsimus, sed de Oppositione siue vocum siue rerum, qualis est inter patrem, filium, album, nigrum, aliaque huiusmodi, quæ a Philosopho sic definitur. Oppositio est repugnantia duorum simplicium terminorum, quorum alter de altero dici non potest, nec ambo de aliquo tertio minus communi eodem tempore, eodemque respectu; eodem tempore dico) quia multa vicissim de eodem affirmari possunt, vt calidum & frigidum a Platone: eodemque respectu, quia idem homo qui est pater, diuerso respectu filius esse potest. Oppositorum alia sunt aduersa, alia relata, alia priuantia, alia contradicentia. Aduersa sunt a nobis ante definita in prima Communitate qualitatis. Distributa vero sunt hoc loco, vt eorum alia habeant medium, alia sint sine medio. Medium vero est vel participationis, quod ab vtroque extremorum constituitur, vt flauedo ex albo & nigro constans: vel abnegationis, quod pernegationem vtriusque extremorum cognoscitur, vt id, quod nec est iustum nec iniustum. Adversa sine medio vulgo immediata dicta sunt, quæ neque per participationem, neque per abnegationem medium sortiuntur, qualia sunt par & impar, morbus & bona valetudo.

Oppositio quid.

Oppositorum diuisio.

Aduersa mediata, immediata.

Mediata.

Immediata.

Relata.

De Relatis taceo, quia satis iam satis in proprietate secunda Relationis eorum naturam oppositionemque demonstraui.

Priuantia quæ.

Priuantia sunt opposita, quæ versantur circa idem subiectum ordine irregressibili, tempore a natura fixo ac definitio, per subiectum, aut totum compositum, aut principem partem intelligo: totum compositum, sic mors versatur circa totum hominem: principem partem, sic cæcitas versatur circa oculum, surditas circa aurem. Per ordinem irregressibilem insinuantur sola priuantia secundum actum & potentiam, inter quæ nulla est reciprocatio, nulla successionis vicissitudo. Hinc non est tam verus illud, quam verum. A priuatione ad habitum non fit regressio; id est, a priuatione secundum actum & potentiam ad eundem habitum vi naturæ non fit reciprocatio. A morte enim ad vitam, a cæcitate ad visum, a surditate ad auditum, quæ potest esse reuersio? certe vi naturæ nulla. Lumine tamen fidei illustrati credimus, & cæcis lumen, & surdis aurem, & mortuis vitam dedisse Christum, adeoque daturum omnibus in fine mundi, quia author naturæ, qui est infinitus, mediis & modis non alligatur. Sunt & alia genera priuantium, nempe secundum actum solum, vt somnus, vigilia, motus & quies, in quibus est frequens successio & iteratio; secundum potentiam solum, vt cæcitas in catulo post nonum diem naturalem, in quo, si non despexerit, negatur solum potentia quæ præfuit, non actus qui adhuc non apparuit.


Deus naturæ mediis non alligatur.

Contradicentia.

Contradicentia sunt maxime opposita, quorum vnum est ens, alterum non ens: vnum finitum, alterum infinitum: vnum verum, alterum falsum: quorumque dari non potest medium, vt cœlum non cœlum, homo non homo.

DISTINCTIO GENERALIS Oppositorum.

Opposi



ARGVMENTA IN GEnera oppositorum.

Oppon.

Oppositio est passio entium in prædicamentis, ergo fundari non potest in priuantibus & contradicentibus, quæ non sunt entia.

Resp.

vt priuantia & contradicentia ex parte negationis sunt non entia, ita ex parte affirmationis in vtroque genere sunt entia, quod est satis ad oppositionem terminorum efficiendam.

Oppon.

Relata se mutuo ponunt, ergo nõ sunt opposita, quorum natura est tollere & negare

Resp.

Relata considerantur, aut respectu { *Eusdem subiecti, & sic sunt opposita.* / *Diuersorum, & sic non sunt.*

Vel dicendum est multa se mutuo ponere, quæ tamen natura sunt disiuncta, vt homo, risibile: sic respectu dependentiæ est quædam cognatio: respectu naturæ, est certa oppositio.

ARGVMENTA IN ADuersa contraria.

Oppon.

Quorum non est vnus conceptus, eorum non potest esse vna definitio: sed aduerse pugnantium non est vnus conceptus, nam res natura sunt distinctissima, ergo eorũ apte vna non datur definitio. Oppugnatio contrariorum.

Resp.

Etsi non est rerum diuersarum vnus conceptus in vnitate rei, vnus tamen esse potest in vnitate rationis, quæ sæpe multa natura diuersa ad gyrum & circulum vnius communis descriptionis reuocat.

Oppon.

Medium opponitur extremis diuerse, vt dicitur in 5. Physicorum, & tamen maxime non distat ab extremis, vt est 2. Ethycorum, ergo male definiuntur aduersa maxime distare.

Resp.

Replicatio. Solutio.

Medium consideratum cum altero extremorum opponitur, & habet rationem extremi: collatum vero cum vtroque non habet. Si vrgeat contradicentia, quę videntur magis opponi quam aduersa, respondeo magis opponi contradicentia in genere entis & non entis: at in ambitu entis maxime opponi aduersa affirmo.

Oppon.

In omnibus aduersis contrarijs est motus alterationis. sed motus alterationis est progressio naturæ ab vno extremorum ad aliud per medium, teste Philosopho, 4. Physicorum, ergo in omnibus aduersis est medium, & per consequens non sunt immediata aduersa.

Resp.

Medium in 4. Physicorum accipitur non pro media qualitate: sed pro quadam proportione, quam tenet natura in mutando subiecto ab vno extremo in aliud, vtpote a sanitate in morbum mutatur Plato non per mediam qualitatem, sed per mediam proportionem & quantitatem motus.

Oppon.

Sanum & ægrum sunt immediata contraria secundum Philosophum in textu, sed inter ea secundum medicos est medium, nempe quod neutrum dicitur, ergo male ponuntur pro exemplis.

Resp.

Sanum pro harmonia naturæ in animali acceptum, & ægrum pro omni intemperie humorum non patiuntur medium: nam si a centro sanitatis homo deficiat, æger si a statu morbi decliuet, sanus recte dicitur: Omnis enim motus denominatur, vt ait Philosophus, a termino ad quem tendit: cum ergo dimoueatur homo a statu valetudinis, ægrotare: cum iterum a statu morbi, conualescere iudicatur.

ARGVMENTA IN PRIVANTIA

Oppon.

Circa hominem cæcum ab vtero matris non versatur Visus, ergo male definiuntur priuantia versari circa idem subiectum.

Oppugnatio Priuantium.

Resp.

In vita Homeri.

Priuantia versari dicuntur circa idem subiectum non numero sed specie, quare etsi Homerus esset cæcus a natiuitate, (quod tamen Herodotus negat) homo tamen aptus esset natura ad visum.

Opponens.

Edentulus sæpe nouos accrescentes dentes habet, ergo a priuatione ad habitum fit regressio.

Resp.

Si edentulum sumatur pro corruptione non solum actus sed etiam potentiæ, vt in senili ætate, tum qui est edentulus nunquam iterum fieri potest dentatus.

Opponens.

Potentia non tollitur vbi non fuit. sed in catulo, qui non videt ad nonum diem, non fuit; ergo non tollitur, & ex consequenti male distinguitur in priuationem secundum potentiam & actum vt in catulo qui actum non habuit. sed solam potentiam. Minor argumenti probatur quia potentia est respectu actus sequentis. sed actus non sequitur, ergo non fuit potentia.

Resp.

Potentia est formalis quæ parit actum: Potentia materialis, quæ sæpe debilitata non producit, & talis est sæpe in catulis.

ARGVMENTA IN CONTRADICENTIA.

Opponens.

Non ens non potest esse extremum, sed contradicentium vnum est simpliciter non ens, ergo non est extremum: at omnis oppositio debet esse inter duo extrema. Oppugnatio contradicentium.

Respondens.

Non ens non potest esse extremum ex parte rei, at ex parte intellectus potest.

Oppon.

Priuatio est partim ens, partim non ens, ergo est medium inter contradicentia quae sunt ens & non ens omnino.

Resp.

Etsi priuatio partim affirmet, partim neget, non est tamen medium contradicentium, quia non est eiusdem generis, & quia non communicat de vtroque extremorū. Nam in non ente nulla potest esse communicatio.

Oppon.

Verum & falsum sunt propriae passiones propositionum, ergo contradicentibus (quae sunt simplicia) non conueniunt.

Resp.

Verum & falsum dicuntur in contradicentibus inesse non per se. sed vt rebus per propositiones applicantur: alij dicunt verum pro ente positiuo, falsum pro negatione entis intelligi.

Finis Oppositionis.

CAP. XXXIIII.

An modi priorum recte distinguantur.

QVONIAM non sine ordine prioris & posterioris a Philosopho in praedicamentis disponuntur omnia, aliud iam postpraedicamentum instituitur, in quo multiplex rerum ordo ac dispositio explicatur. Hujus quinque modi ac genera ab Aristotele discutiuntur: Proponuntur tamen nisi quatuor, Rationem Boetius tradit, quia a veteribus Philosophis horum quatuor excogitata fuerunt, vltimum vero de causis & effectis ipse Aristoteles addidit; hinc antiqua illa carmina: *Postpraedicamenti Ratio.*

Tempore:2 natura:prius,3 ordine:dic &4 Honore:
5 Causam causato dicimus esse prius.

Tempore enim aut antiquitate naturae, aut ordine artis, aut dignitatis gradu, aut denique causa, omnia quae priora dicuntur, alijs praestant & antecellunt. Tempore alia alijs priora appellantur, quę in priore tempore extiterunt. Sic Socrates tempore prior fuit Aristotele, sic lex Euangelio, sic imperiū Persarum Romano imperio. *Tempore prius.*

Natura priora sunt omnia interna principia, insitaeque causae rerum, vel potius (vt verbis Philosophi vtar) ea omnia sunt antiquiora natura, a quib. non conuertitur subsistendi ratio: animaduerte quod dixerim, a quibus non cōuertitur subsistendi, non existendi ratio. Nam inter hominem, qui est prior risibili naturae ordine, conuertitur quidem ratio, non tamen quoad subsistentiam, (nam subsistet homo sine risibili, omnisque species sine proprio) sed quoad existentiam, quia in ratione existendi inter subiectum & proprium est semper necessaria consecutio: exempla in hoc modo sunt omnia genera respectu specierum, omnes species respectu indiuiduorum, omnes substantiae respectu accidentium. *Natura.* *Cautio.*

Ordine artis, priora sunt, quae perdiscentibus methodum, facilitatem & quasi compendiariam sciendi viam pollicentur: sic in Grammatica *Ordine artis priora.*

priora sunt elementa syllabis, syllabæ dictionibus: sic in Rhetorica exordium præcedit narrationem, narratio propositionem, propositio confirmationem: quid opus est multis: omnia faciliora, hoc ordine antiquiora, nominantur. Hoc modo species præcessit differentiam apud Porphyrium: Relatio qualitatem apud Aristotelem.

Dignitate. Dignitate priora sunt omnia quæ vel a perfectione naturæ, vel ab æstimatione virtutis dependent: & ob has causas in maiore pretio inter doctos bonosque habentur; sic sol dignitate excellit reliquos planetas, sic oliua plantas, sic aquila aues, sic leo quadrupedes, sic homo omnes creaturas Dei: sed hæc sunt exempla in perfectione naturæ. In æstimatione virtutis: Sapientia melior est prudentia, continentia liberalitate, magistratus populo.

Causa. Causa priora sunt hoc loco, quæ constituunt ita sua effecta, vt tamen inter effecta & causas sit quædam existendi reciprocatio sic ignis prior est colore summo, & tamen inter ignem & summum calorem est consecutio: vt, si sit ignis sit etiam summus calor: & si sit summus calor, erit ignis. Sic de sole & splendore, sic de aqua & humore, sic de terra & arido, sic de cælo & sereno dicendum est: quæ omnia sunt causæ suorum accidentium: & tamen si conferantur, cum illis reciprocantur necessario.

DISTINCTIO MODORVM.

1. Tempore prius dicitur.
   - Proprie, quod existit in priore tempore, sic senex prior est iuuene.
   - Communiter, quod subsistit ab æterno, & sic vniuersa priora singulis dicuntur & natura & tempore.

2. Natura prius est, vel
   - Quod non conuertitur, sic superius inferiore prius dicitur.
   - Quod conuertitur secundum actum existendi, sic subiectum prius est proprio suo.

3. Ordine prius dicitur vel in
   - Elementis artis; sic literæ priores sunt syllabis, exordium narratione.
   - Numeris, sic vnum est prius duobus.

4. Honore prius est, vel in
   - 1. Opinione, & sic qui potentior est, prior dicitur.
   - 2. Æstimatione virtutis, & sic qui ingenio & virtute excellit, prior habetur.
   - 3. Perfectione naturæ, sic aurum est prius argento, &c.

5. Causa prius est, vel
   - Confuse & potentia, & sic non conuertitur, vt animal cum homine.
   - Contracte & actu, & sic conuertitur, vt rationis compos, cum homine.

Oppugnatio modorum.

Opponens.

Sunt quædam priora loco & loco & motu, vt est apud Philosophum. 5. Metaphysic. sed hæc in hoc tractatu nō insinuatur: ergo minus accurate tractātur hæc genera priorum.

Resp.

Prius capitur
- *Fuse pro passione entis in genere, & sic sunt plures modi.*
- *Stricte pro relatione entis in prædicamento, & sic non sunt plures.*

Oppon.

Opponens

Aliquid prius in eo dici non potest, quod non est, sed tempus non est, ergo prius tempore esse non potest. Maior constat minor probatur, quia nulla pars temporis est, ergo nec tempus.

Resp.

Licet tempus non maneat; res tamen, cui adiacet tempus, manet: quod satis est quia hic relatio durationis, non ipsa duratio solum spectatur.

Oppon.

2 Topic. cap 1 dicit Philosophus a genere ad speciem conuerti & commutari rationem, ergo prius natura non recte desinitur.

Respondens.

A genere ad speciem conuertitur ratio ex hypothesi quoad inesse, non quoad esse: vt aiunt, exempli causa: Homo est animal, ergo animal inest homini: & ex aduerso. Animal inest homini, ergo homo est animal.

Opponens.

Conuersio est propria passio propositionis, ergo conuerti hoc loco rebus male attribuitur.

Resp.

Conuersio est propria passio propositionis ratione rerum & terminorum: vel dicendum est quod illic conuersio complexa non simplex intelligatur.

Opponens.

Quintus modus repugnat secundo, ergo male tractatur.

Resp.

In secundo potentia causarum, in quinto actus consideratur: nam secundum potentiam causæ acceptæ non conuertuntur, secundum actum reciprocantur cum effectis.

CAP. XXXV.

De modis Simul.

RECTE quidem ea quæ sunt simul, illis quæ sunt priora succedunt; quippe hæc illis quodammodo sunt opposita quorum (vt ait Philosophus) eadem est scientia: vt ergo juxta se posita magis elucerent hunc de modis simul tractatum, illi de priorum generibus, proxime subiecit Aristoteles. *Ratio ordinis.*

Dicuntur simul tribus modis: tempore, natura, relatione. Tempore, quorum generatio est in eodem momento, vt Gemelli. Sed aduerte, quod non solum in rebus singulis, quæ proprie generantur, sed etiam in rebus vniuersis, quæ mutuo & necessario conuertuntur, insit hoc genus eorum quæ sunt simul. Sic proprium & subiectum, vt homo & ridendi facultas simul tempore esse dicuntur. *Simul tempore.*

Natura simul, sunt vel diuisione, vt membra ejusdem internæ diuisionis, sicut homo, bellua sub animali: vel ratione, quæ antea in secunda proprietate relationis definita, satis dilucide explicantur: eo igitur, breuitatis causa, legentem refero, vt plura de his quæ simul sunt relatione & legat & intelligat. *Simul natura.*

Simul est aliquid, vel
- Tempore.
  - Proprie in eadem generatione, sic duo gemini sunt simul.
  - Improprie in eadem existendi ratione, sic species & proprium dicuntur simul.
- Natura
  - Diuisione
    - Formaliter, sic differentiæ eiusdē generis.
    - Materialiter, sic species sub genere, sic indiuidua sub eadem specie.
  - Relatione, vt supra.

Quot modis simul dicuntur res.

Oppon.

Oppugnatio Simul.

Quot modis vnum oppositorum dicitur, tot modis & alterum 2. Topicorum: sed prius & simul sunt opposita, ergo vt priorum sunt quinque modi, ita & eorum, quæ sunt simul.

Resp.

Notiores modi hic tantum recensentur, reliqui facile reducuntur.

Opponens.

Simul sunt multa in loco, simul etiam in motu, ergo sunt plura genera.

Resp.

Reducuntur ad primum genus propter similitudinem, nempe ad simul tempore: motus enim & tempus sunt cognata.

Oppon.

Binarius numerus est prior ternario, ergo in omnibus speciebus non est verum, nempe species esse simul.

Resp.

Species considerantur, vel { *In genere suo, & sic sunt omnes simul.* / *Inter se, & sic non sunt: nam linea est prior superficie, binarius est prior ternario.* }

CAP. XXXVI.

De Motu.

Tractatio de motu cur breuissima.

SI ad viuum ex Philosophia omnia de motu discuterentur aut in magnum volumen accresceret disceptatio, aut tædio orationis oriretur confusio: in nulla re enim magis laborauit Aristoteles: de nulla re plura in suis monumentis scripsit. Quippe huc spectant sex posteriores libri Physicorum: huc duo libri de Ortu & Interitu: huc postremus Meteor. huc vnus sub eodem nomine conscriptus nempe de motu: huc pene vniuersa de natura contemplatio, quia motus est naturæ prima ac nobilissima affectio. Pauciora igitur nunc de motu dicam, partim quia institutum postulat, in quo breuitati studeo, partim quia opportune de eo decreui agere, si Deus mihi vitam & gratiam indulserit.

Motus quid.

Motus hic fusissime acceptus definitur via & progressio naturæ ad formam vel qualiscunque substantiæ, aut accidentis commutatio. Hinc in tertio Physicorum dicitur actus entis in potentia: hoc est, successiua, vel instantanea mutatio substantiæ, aut accidentis in potentia, ad aliam formam, seu internam, seu externam suscipiendam: sic ouum sub gallina tendit ad formam pulli: sic semen in terra ad formam plantæ.

Motus diuisio
1. Generatio.
2. Corruptio.
3. Augmentatio.
4. Diminutio
5. Alteratio
6. Loci mutatio.

Diuiditur motus in sex genera; nempe in generationem, quæ est progressio a non ente tali ad ens tale; vt a semine mandato terræ ad plantam; in corruptionem, quæ est progressio ab ente ad non ens: vt ab homine ad cadauer; in augmentationem, quæ est acquisitio maioris quantitatis; vt cum ex puero fiat adolescens, in diminutionem, quæ est extenuatio quædam quantitatis; vt cum ex adolescente fiat senex: In alterationem, quæ est repugnantium qualitatum in eodem subiecto, vicissitudo & successio; vt cum ex iusto fiat iniustus: In loci mutationem, quæ est corporis a loco in locum agitatio; vt videre licet in motu hominis,

In con-

Omnis motus est aut
- Internus
  - In constitutione, & sic est generatio, per quam forma & perfectio acquiritur.
  - In priuatione, & sic est corruptio, per quam forma tollitur destruiturque.
- Externus qui respicit aut
  - Mensuram subiecti, vel in
    - Perfectione naturę, & sic est augmentatio.
    - Defectione, & sic est diminutio.
  - Situm & ordinem subiecti in decora agitatione corporum, & sic est loci mutatio.
  - Actionem subiecti in oppositione qualitatum, & sic est alteratio.

Generatio duplex
- Simplex, quæ est solius substantiæ constitutio.
- Composita, quæ est, simul cum substantia accidentis constitutio, vt in generatione ignis (prętet formam ignis) generatur calor.

Augmentatio est duplex, aut
- Communis, quæ est qualiscunque maioris quantitatis acquisitio, vt cum grana granis, saxa saxis accumulantur.
- Propria, quæ est tantum in rebus animatis per calorem, tanquã instrumentum, per potentiam animæ vigintis, tanquam per principium.

Loci mutatio est vel
- Orbica, quæ est cœlestium corporum.
- Recta quæ est elementorum.
- Mixta, quæ est animalium.

Alteratio est,
- Propria inter agẽtes & patientes qualitates cuiusmodi sunt, calor, frigus.
- Impropria inter omnes, quæ aliquam repugnantiam habeant, vt inter virtutem & vitium.

Opponens.

Actu requiritur subiectum omnis accidentis, quia eius esse est inesse actu: sed motus subiectum est mobile, quod est in potentia, ergo motus non est accidens. Oppugnatio motus.

Resp.

Motus est inchoatum accidens, non perfectum: vel dicendum est, quod mobile sit actu, etsi non sit actu sub illa forma ad quam tendit. Est enim, exempli causa, ouum actu, quamuis non sit actu sub forma pulli ad quam mouetur.

Oppon.

Quinto Physicorum ortus & interitus negantur esse motus genera, ergo male hic connumerantur.

Resp.

Ortus & interitus considerantur bifariam, aut pro	Momentaneis actionibus naturæ, & sic negantur esse motus.
	Successiuis dispositionibus naturæ, & sic sunt motus genera, fiuntque in tempore.

Oppon.

Nutritio est motus, (est enim mutatio successiua alimenti in naturam aliti) sed non continetur sub istis generibus, ergo sunt plura genera.

Respondens.

Nutritio continetur sub generatione analogice, nam in nutritione noua forma alimenti acquiritur.

Opponens.

Nihil quod destruit naturam est affectio entis naturalis, sed corruptio destruit naturam, quia tollit formam, ergo non est affectio entis naturalis.

Resp.

Etsi destruit particularem, vniuersam tamen non tollit, sed potius conseruat, quia corruptio vnius est generatio alterius.

Oppon.

Cum aqua in aquam infunditur, est augmentatio, sed ibi per animam vegetantē & calorem, non est maioris quantitatis acquisitio, ergo male sic describitur augmentatio.

Resp.

Est augmentatio communis, non propria.

Oppon.

Primum cælum mouetur localiter, vt ait Philosophus primo de cælo, & tamen non est in loco, vt ait tertio Physicorum, quia nihil est extra cælum, ergo loci mutatio non accommodatur cælo.

Resp.

Cælum mouetur sine loco externo,	Quia est principium mouendi.
	Quia potentia eius motoris est infinita septimo Physicorum
	Quia eius forma est aptissima ad motum. Cum ergo cælum sit primum omnium corporum, cum sit principium mouendi, cum in illo sit primus motus, ad quem omnes omnium corporum motus referantur, non requiritur locus nisi in partibus vt moueatur: huc addo & illud, per potentiam sui motoris cieri ac agitari.

CAP. XXVII.

De Habitu.

Ordinis ratio

HAbitus, vt inter prædicamenta vltimum, ita inter Postprædicamenta indignissimum habetur: in eo enim generalis quædam omnium accidentium

dentium ad substantiam Relatio demonstratur: vnde definitur hoc loco, quædam habitudo omnium, quæ inter se quoquo modo cohærere possunt, siue sint substantiæ siue accidentis genera. Habitus sunt octo genera, quæ in sequenti tabula seu distinctione patebunt. *Habitus quid*

DISTINCTIO *HABITVS.*

Habitus est vel

- Internus, aut
  - 1. In parte, sic homo dicitur habere duos oculos, duosque pedes, quæ partes dicuntur ab officio, non a loco: a forma, non a materia.
  - 2. In toto, sic partes dicuntur habere totum, in quo insunt & nituntur.
- Externus qui respicit aut
  - 3. Mensuram, & sic dicimus habere proportionem & quantitatem.
  - 4 Formam, & sic dicimus habere qualitatem & formam.
  - 5. Ordinem & decorum, & sic dicimus habere ornamẽta, vtpote togam, & annulum.
  - 6. Locum seu situm, & sic dicimus habere vinum in amphora, granum in modio.
  - Possessionem, aut
    - 7. Rei ad vsum.
    - 8. Vxoris ad societatem vitæ conseruandæ: at hic modus, vt ait Aristoteles, est omnium alienissimus: qui enim vxorem habet, etiam ipse capitur & habetur.

Opponens.

Habere actionem & passionem substantia dicitur, ergo minus considerate enumerantur hi modi, cum mentio facta sit solum habendi qualitatem & quantitatem prę reliquis prædicamentis, quæ non minus habere substantia dicitur, quam illa quæ a Philosopho nominantur. *Oppugnatio Habitus.*

Resp.

Quantitas & qualitas, vt primaria prædicamenta recensentur, sub quibus reliqua insinuantur omnia.

Modi habitus hisce versiculis continentur.

Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum,
Membrum, contentum, possessio, vir mulierem.

Finis secundi Tractatus.



PRÆFATIO IN TRACTATVM DEMONSTRATIONIS.



IMBREM (vt aiunt) in Oceanum spargerem, si hoc loco immensos demonstrationis fructus docere contenderem. Sphæram totius Dialectices si places revolue: in primo circulo literas & quasi elementa, in altero voces & prima veluti loquendi semina, in tertio locos & firma disserendi instrumenta, in quarto fraudes & tecta sophistarum deliria videas. At quorsum, quæso, nomen & verbum, quorsum classes & sedes rerum, quorsum inuentionis neruos vtrelq; locorum, quorsum deniq; insidias & techinas sophistarum discimus? nisi vt recte sciamus, ac sapienter demonstremus. Scire enim & demonstrare non solum vt homines a natura, sed etiam vt docti & sapientes desideramus. Cum ergo scientia & demonstratio sint quasi duo huius circuli luminaria: quorum radiis non solum reliquæ Dialecticæ partes, sed etiam omnes aliæ scientiæ ac artes illustrantur: quæ sit huius tractatus vtilitas, quæ necessitas, nemo est (vt opinor) qui non videat: si enim sit nulla scientia absque demonstratione, si nulla demonstratio absque scientia, quippe est demonstratio mater scientiæ, est scientia demonstrationis filia: fieri non potest, vt quis recte & cumulate de rebus iudicet, qui hanc partem Dialectices accurate non intelligat. Sunt tamen qui hunc demonstrationis tractatum omnino ab hac arte tanquã inutilẽ remouendũ esse putant: & vt suam opinionẽ ratione defendere & munire videantur, primum ordinem, tum ipsam materiam, postremo exemplum apud Aristotelem in libris Analyticis reprehendunt. Ordinem, quia vt aiunt, hæc pars perfectum verum iudicium comprehendens, omnes libros de hac scientia conscriptos iure sequeretur: materiam, quia vt arguunt, non veritas, quæ est obiectum demonstrationis, sed probabilitas, quæ est obiectum opinionis, in Dialectica tractaretur: exemplum quia vt obiiciunt potius ex Poetis & oratibus aperte, quam ex mathematicis & Philosophis obscure peteretur. Ad primum respondeo, quod in ordine librorum Analyticorum spectantur duo: res, & modus: res, quæ est in aliis scientiis, vnde iudicium: modus qui in hac scientia proprie tractatur, vnde artificium nascitur. Res enim iudiciumque demonstrationis ad demonstratiuas scientias: modus autem & artificium tam conficiendæ, quam tractandæ demonstrationis ad hanc solam pertinet. Si ergo rem & iudicium spectes, libris inuentionis postponi: sin vero modum & artificium consideres præmitti debere puto. Cum ergo formam & vsum demonstrationis, non rem ipsam, id est veritatem, quæ est proprium obiectum aliarum artium, definiat hoc loco Aristoteles, abs re non fuit in medio veluti circulo hunc excellentem demonstrationis tractatum collocare: vt reliquæ partes huius scientiæ, ab eodẽ non aliter quam sidera a sole omnium planetarum medio lucem ac splendorem suũ mutuentur. Obiectioni de materia, quæ in secundo loco proponitur, in primo capite huius partis satisfacio: quare ad postremum, quod de exemplis Philosophis obiicitur, iam tandem

1. Lib. Metaph. cap. 1.

Ordinem, rem ipsam, & exempla librorum Analyticorum reprehendit Ramus.

Solutio de ordine huius tractatus.

Dialectica modum sciendi tractat.

Solutio de materia.

tandem venio. Ex Poetis non Philosophis, ex historicis non Mathematicis, ex oratoribus obscuris non ex authoribus, rerum omnia, vt aiunt, peti debent exempla. In illis enim exercentur adolescentium ingenia, in his vero opprimuntur: ex illis lux magna rebus cognoscendis oboritur, ex his incredibilis caligo, necnon confusio nascitur. Valeant ergo omnia alphabetica & Abecedaria Arist. exempla. O teneros Philosophos qui aurum sititis, nec tamen effodere, qui portum exoptatis, nec tamen enatare, si opus sit, vllo modo velitis. An sola Prisciani, Caesaris, & Ciceronis placent exempla? An ad illos solum intelligendos per hanc artem tendimus? An solum in Grammatica, Historia, & Rhetorica ratio veritatis, vis demonstrationis quaeritur? Non sane. In quibus ergo scientiis maximus vsus huius Tractatus discernitur? Certe in illis, quae firmissimis demonstrationibus muniuntur, at quae sunt illae? Aut mathematicae quidem, aut nullae. Cur igitur reprehenditis si ex illis hauriantur Aristotelis exempla? At ista puncta, & quasi vmbras exẽplorum, quales sunt, A. B. C. apud illum nõ ferimus. Otiosi estis, qui primis literis veluti laruis exterriti, neque Analogiam textus animaduertitis, neque vnum Interpretem de hac re consulitis. Analogiam textus dico, quia ex ea sensus ad vnum elicitur: vnum interpretem nomino, cuius ope omne exemplum facillime intelligitur. Hisce modis olim maiores nostri profundum sensum Philosophorum veluti thesaurum ex alto Neptuno sunt expiscati: nos tamen modos, has vias iam certe contemnimus. Causa in promptu est, desidiosi sumus: nihil placet, quod non est nouum, nihil nos capit, quod non est primo aditu gratum, facile, & perspicuum. Verum est illud, Quo quid difficilius eo pulchrius. Verum quoque est illud, Nihil est tam difficile quin quaerendo inuestigari possit. Si ergo generosa haec aetas, in qua nunc viuimus, Aristoteli serio ac diligenter studeret, non dubitarẽ quin eundem Aristotelem cum multis anteactis iam seculis, vt principem omnium Philosophorum coleret & amplecteretur. Esto, fateamur eius exempla esse admodum abstrusa, quibus tamen raro vtitur. Quid ergo? An Spartam propter inertia, an sapientiam propter exempla relinquimus? Certe studiose lector, si vnquam Philosophus seipsum superauerit, in hac parte calculis optimorũ interpretum se Aristotelem esse ostendit: quod tum demum intelliges, cum omni animi affectione remota, hanc partem illo sedulo ac diligenter perlegeris.

huius tractatus.
Solutio de exemplis.

Duplex ratio intelligendi Arist.

Ocium, veterum Philosophorum contemptum parit.



DE DEMONSTRATIONE.

An scientia Demonstrationis sit Dialectico necessaria.

QVI lumen Demonstrationis in arte Dialectices extinguunt, magnas offundere tenebras ignorantiæ teste Aristotele, videntur. Sunt tamen qui pugnacissime defendunt, in hac arte, quæ solum quid sit probabile in quaque re discernit, nullum omnino vsum esse Demonstrandi. Qui enim fieri potest (inquiunt) vt verum cum verisimili, necessarium cum fortuito, certa scientia cum leui coniectura, inconcussa Demonstratio cum incerta ancipitique cohereat opinione? At in Demonstratione omnia vera, omnia necessaria, omnia certa, omnia prima & inconcussa: hic vero in Dialectica omnia sunt contraria: Non est ergo Demonstratio pars Dialectices, non est Dialectico necessaria. In hoc argumento iniqua est rerum comparatio, artiumque fraudulenta confusio. Nam quamuis res aliarum artium sunt, in quibus veritas necessitasque rerum insit, necessitatis tamen ac veritatis inquirendæ modus seu instrumentum, recte ad eam scientiam referri potest, quæ veri & falsi indagatrix dicitur. Error quoque est, si verum verisimili, si necessarium probabili omnimodo repugnare existimes. Nam eadem res quæ est in constitutione vera & necessaria, in opinione probabilis existit: Omne enim verum & necessarium est probabile. Quare fallax est conclusio quæ ex consentaneis tanquam ex disiunctis & repugnantibus infertur. Nam etsi fateor probabilem opinionem de rebus gignere, esse intentum finem Dialectices, hinc tamen veri discutiendi instrumentum, (quod est Demonstratio) non esse partem Dialectices, apposite non concluditur. Quippe non veritatem, sed veritatis modum, non necessitatem sed necessitatis neruum ex officio quærit Dialecticus. Verum, dic quæso: qui fieri hoc potest sine arte Demonstrandi? Præterea hoc vnum quæro, an definitio sit pars Dialectices, necne. Si neges, premo te authoritate omnium interpretum, si affirmes, conuinco tamen. Nam quid aliud est definitio, quam pars & medium demonstrationis? Id ipsum de propria passione sentio. Huc addi potest & illud, quod Dialectica sit ars acute definiendi, diuidendi, demonstrandi: quod sane non esset, si demonstratio a finibus Dialectices penitus arceretur. Postrema, si Dialectica nos doceat per causas scire, si viam & methodum inueniendi causas explicet, si inuentas in alijs scientijs recte discuriat, si hæc omnia præstat per demonstrationem, non video quin demonstratio quasi manus Dialectices appelletur. Nam vt manu res apprehenditur, ita demonstratione scientia, rei acquiritur. Sed hic alia suboritur dubitatio, an sit omnino earum, rerum quæ subsistunt demonstratio? Nam erat secta Philosophorum, qui nihil scire nos posse somniarunt. Vanissimam hanc quæstionem, an sit, mouere, cum constet rem esse: magnam aut ignorantiam, aut curiositatem arguit. Sciri res dubitas? Quid ita obsecro? quia causas rerum ignoramus, vnde id nosti? quia ab effectis & euentis, quia a sensibus eorúq; obiectis, omnia nostra cognitio nascitur. Quam ridicule? an plus oui quam menti tribuis? quorsum hoc? ouis viso lupo odium, matreque conspecta amorem concipit. Quid hinc? ergo multo magis homo ex effectis

Obiectio.

Solutio.

Finis Dialectices.

Dubitatio.

sectis principia, ex obiectis species, ex euentis causas rerum elicit. Quid? an nos omnes causas scire, aut omnia ex causis sciri arbitraris? nec hoc, nec illud puto. Nā multæ sunt causæ quæ nos fugiunt, multaque sunt quæ sciri nō possunt. Satis est nobis si sit certarum rerum scientia, quæ si sit, erit etiam earum rerum quæ sciuntur vera demonstratio.

Diuisio.

In Demonstratione spectantur duo: Materia probationis, quam habet ab aliis scientiis, & sic argumentum Philosophicum dicitur. Forma constitutionis, quam habet a Dialectica, & sic pars seu instrumentum Dialecticum nominatur.

Demonstratio pars est Dialectica.

Demonstratio probatur esse pars Dialectices, quia per illam:
- Definitur: nam est ars definiendi, diuidendi, demonstrandi.
- Verum a falso proprie distinguit.
- Causas & proprias passiones communiter, effecta per causas proprie ostendit.
- Methodum probandi & sciendi in omni arte ac scientia tradit.

Opponens.

Demonstratio a ratiocinatione Dialectica distinguitur in primo Topicorum, quia altera ex veris & necessariis, altera ex probabilibus constat: ergo videtur quod demonstratio non sit pars Dialectices, aut necessaria Dialecticæ.

Resp.

Hoc argumentum probat materiam vtriusque aliquo modo illic distingui, non tamen recte concludit demonstrationem non esse partem, aut minus necessariam. Nam vt locus a substantia, qui naturā, & locus ab accidente qui existentiam respicit, sunt partes inuentionis: ita demonstratio quæ necessitatem, & ratiocinatio quæ probabilitatem spectat, quamuis in materia dissideant, sunt partes & instrumenta Dialectices: quippe vtriusque vim, modum & formam hæc sola scientia continet.

An sint notiones ac species impressæ in animo, ex quibus gignitur scientia; vel an potius ex sensu omnis scientia oriatur.

IN libris analyticis agitur primum de partu scientiæ, tum de habitu & firmitate, hinc de ordine & progressu, postremo de numero eorum quæ in scientiam & demonstrationem cadunt. De partu scientiæ mouetur hæc quæstio; an potius ex sensibus corporis, quam ex speciebus menti impressis oriatur? Plato diuinus ille mentem humanam refertissimam rerum omnium imaginibus a Deo creatam dixit, quas tamen imagines corporis vnione & consopitas & pene obliteratas sensit: sensus dari tantum in hunc finem putauit, vt motu suo animum excitarent pellerentque ad intuendas sepultas illas species quas ante innatas habuit. Grata fuit hæc opinio multis, sed minus placuit Aristoteli. Is enim istas ideas concreatas negat mentem tamen simplicem, æternam, diuinam asserit, sed ita, vt sit quasi rasa tabula, in qua nihil est depictum, nihil impressum. Sed attende, quod sint in animo duo quasi seminaria omnis scientiæ, lux, & potentia: illa agenti, hæc patienti intellectui adscribitur. Est enim agens intellectus quasi radius solis, quo reliquæ partes animi vt sidera illustrantur: est patiens intellectus quasi tersum & politū speculū, in quo est vis quædam capax omnium imaginum. Ferit radius speculum, species a sensibus transmissas per reflexum videt, visas discutit, ex discussis essentias, causas, & scientiam elicit. Quid opus est pluribus? Hinc ordinem sciendi ortumque scientiæ percipis.

Platonis opinio.

Duo seminaria omnis scientiæ in animo.

Discrimen inter agentem & patientem intellectum.

Refutatio opinionis Platonicae.

Sed ne videamur nimis leuiter transilire Platonis sententiam, sagacius hanc rem consideremus. Nam si vera sit haec opinio Platonis, quod scientiae nobis essent infusae, moleque corporis tantum impeditae, quodque toties veluti reuiuiscunt, quoties se ad primam intelligentiam conuertit anima, incassum esset de scientia per demonstrationem acquisita nostra disceptatio.

Argumento triplici.

Tria mihi semper persuaserunt argumenta, vt in hac re cum Platone non consentiam.

1 Primum est, quod innata actio alicuius rei non penitus impediatur per illud, quod etiam inest secundum naturam: sed vnio corporis & animae proculdubio est naturalis, cum nihil magis sit consentaneum naturae quam vt forma propria cum sua ipsius materia copuletur: ergo si anima habuit scientiam omnium, fieri non potuit vt per vnionem corporis omnes scientiae radices sic euellerentur, vt nesciret se olim scientiam habuisse.

2. Alterum argumentum est, quod deficiente aliquo sensu, deficiat quoque scientia eiusdem sensus, quod certe non contingeret, si intellectui nostro iam creato omnes omnium rerum species & notiones ingenerentur.

3. Postremum est, quod obliuio non contingat circa ea quae nobis vi naturae insunt: sequitur ergo non imprimi has Ideas, impressas non extingui.

Cognitio sensitiua & intellectiua.

Cognitio duplex,
- Sensitiua, quae est, aut
  - Exterior, in externis obiectis, quae feriunt externum sensum.
  - Interior, in visis, quae pulsant communem sensum.
- Intellectiua
  - Complexa & haec est, aut
    - Principiorum, quae nascitur ex lumine intellectus agentis.
    - Conclusionum, quae oritur ex perceptione principiorum.
  - Incomplexa, quae est scientia terminorum rerumque simplicium, orta ex antecedenti cogitatione sensus per species ad se transmissas ac splendore mentis illustratas.

Omnis cognitio intellectiua oritur a sensu dupliciter.

Omnis intellectiua cognitio, siue complexa, siue incomplexa sit, oritur a sensu, vel
- Directe recipiendo species, vt in obiectis rerum corporearum quae vi sua pulsant mouentque sensum.
- Indirecte per lucem & acumen intellectus agentis, qui ex corporeis formis a sensu ad se translatis saepe res incorporeas percipit: exempli causa, audito quod spiritus careant omni materia, statim quid hoc ipsum sit carere omni materia, per abstractionem specierum a re corporea discutit.

Opponent.

Spiritus & separatae substantiae sciunt, sed non ex praeexistenti cognitione: ergo omnis scientia non dependet ex antecedenti cognitione.

Resp.

Duplex est scientia
- *Intuitiua, quae hic non intelligitur.*
- *Discursiua, quae dependet a sensu.*

Oppon,

Oppon.

Intellectus seipsum intelligit proprio suo lumine, teste Philosopho tertio de Animo: ergo omnis cognitio ab antecedenti non oritur.

Resp.

Intellectus separatus seipsum intelligit sine medio, sed coniunctus corpori hoc ipsum non facit sine phantasmate. Aliud est responsum quod magis placet: quod in modo intelligendi, Intellectus ipse qui est in homine intelligendi principium hoc loco recipiatur.

Opponens.

Intellectus nobilior est prima materia: sed prima materia capax est omnium formarum: ergo multo magis intellectus innatis formis & speciebus rerum splendesceret.

Resp.

Non est par ratio vtriusque. Nam materia suum esse a formis habet: at intellectus a speciebus obiectis non habet: est enim ipsa forma & perfectio hominis.

An contingat nos aliquid perfecte scire, & An sciamus aliquid de nouo.

ADumbratim viam & ordinem sciendi explicuimus: sequitur nunc vt paucis dicamus, an nobis contingat aliquid perfecte scire. Heraclitus omnia in perpetuo motu animaduertens nihil omnino nos scire putauit. Plato quidem concedit nos scire, sed ope specierum, quas animo inesse finxit. Auerroes nos etiam scire fatetur multa, sed nihil perfecte sciri, pertinaciter defendit. Huic oppono Aristotelem, qui in mente humana absolutam scientiam collocat. Dic mihi, quæso, Auerroes vnde hoc scias, nos nihil perfecte scire? Fateberis, vt opinor, omnes homines natura scientiam desiderare. Si neges, tuos ipsius commentarios in primo Metaphysicorum vrgeo. Si affirmes, hoc quæro, an naturalis appetitus ac desiderium sciendi penitus frustretur in homine. Si dicas frustrari, tum natura & Deus aliquid frustra agunt; Si inficieris, habetur propositum, nempe hominem natura vi ad scientiam natum ac propensum finem suum aliquando posse acquirere, id est, aliquid perfecte & absolute sapere. Iterum istam conclusionem tuam, nimirum nos nihil perfecte scire, aut tu ipse scis perfecte, aut non scis. Si dicas te scire, tunc sane, vt tuum in te retorqueam telum, id scis quod nescis. Si respondeas te non scire, cur ignorantiam prodis? Non est ita sepultus, non est ita depressus animus hac mole corporis, quin veras formas verasque causas rerum disquirat. Si enim recte definire potest, cur ei perfecte scire negatur: cum definitio sit medium demonstrationis, demonstratio mater scientiæ, omnisque perfectæ cognitionis? Iam quoniam constat nos aliquid perfecte scire, proxime quæritur, an contingat nos aliquid de nouo scire: ad quod respondeo, animam humanam in hoc differre ab intelligentia separata, quia hæc scientiam habet per formas innatas sibi, vt est in libro de Causis: illa vero non per formas habet, sed per multiplicem potentiam, qua docilis redditur ad formas speciesque rerum percipiendas. Hinc patet, nostram scientiam non esse præteritorum memoriam & reminiscentiam, sed quandam elaboratam notitiam de nouo acquisitam per species a sensibus transfusas, & ab intellectu receptas, discussas & comparatas.

Opiniones Philosophorum.

Sermocinatio cum Auerroe.

Dilemma.

Vere nos scire probatur.

Discrimen inter coniunctam & separatam animam.

Opponens.

Nihil ducitur in actum, nisi per aliquid quod in actu existit: sed intellectus noster a

potentia sciendi ad actum perducitur: ergo fuit aliquid antea in intellectu nostro, & ex consequenti, scientia non est de nouo.

Resp.

Fatemur aliquid ante perfectam scientiam præexistere in mente, nempe multiplicem speciem quæ illustrata lumine intellectus deducit nos veluti ad examen principiorum cognitionemque conclusionum, vt tamen naturæ in ipsa anima creatas tales formas fuisse negamus.

An scire sit per causam scire.

Scire quid.

QVoniam finis demonstrationis est scire, abs re non est, hoc ipsum in primis explicare. Scire est, vt ait Aristoteles, rem quæ aliter se habere non potest, per causam vi sua cognoscere. Verum cum multa sint causarum genera, materia, forma, efficiens, finis, videndum est, quam causam potentissimum in hac definitione insinuet. Quidam omnem hic causam intelligi volunt: cæterum id minus rationi consentaneum esse videtur, cum efficiens & finis extrinsecus & non per se rem intueantur: quod cum ita sit, nec per illas vere scire, nec per illas vere demonstrare possimus. Thomas Aquinas hoc verbum scire acute distinguit, vt solet omnia, in scire per se & scire per accidens: per se scimus (inquit) cum rem per suas germanas, simplices, proximasque formas intelligimus: per accidens vero, cum efficientis & finis subsidijs vtimur. Sed vide: cum dicit per formam, non excludit materiam: cum dicit proximam, non excludit remotam. Sunt enim formæ communes, sunt formæ propriæ: & hæ & illæ requiruntur: magis tamen proximæ quam remotæ gignunt per se scientiam. Quod hæc sciendi definitio sit vera patet, quia teste Philosopho in secundo Metaphysices, eadem sunt principia esse rei & veritatis. Vt ergo se res habet in essentia, ita se habet in veritate: sed res habet esse, vt aiunt, per sua principia: ergo etiam ab eisdem suam scientiam petit. Non hic ignoro esse aliquam scientiam in aliis causis, immo in ipsis effectis positam; sed hæc a posteriore, vt aiunt, per effecta: illa, (de qua egimus) a priori per principia gignitur: hæc etiam comparata, illa absoluta dicitur. Scitur, inquit Boetius, pars per totum, scitur accidens per subiectum, scitur causa per effectum, a priore & absolute scitur effectus per principium. Sed dices; An causa simplex rem scire efficit? Respondeo, non solum his causam, sed causæ habitudinem & nexum in conclusione demonstrationis intelligi. Nam quamuis causa per se sumpta nos scire facit, efficiacius tamen in demonstratione posita, id ipsum efficit. Si viam hic quæras inueniendi & cognoscendi causas, hæc breuis obseruatio collecta ex Philosopho tibi semper versetur ob oculos: nempe vt primum accidentia communia rerum consideres, tum propria, hinc ipsas germanas potentias quæ propriæ passiones dicuntur: si quid vltra se offert quod est simplicius, id pro causa habeatur.

Causarum genera.

Acuta distinctio Thomistica ipsius scire.

Comparatio essentiæ & veritatis.

Regula vtilis inueniendi differentias.

Scire distinguitur quatuor modis.

Scire accipitur quadrifariã, aut vt est
- Apprehensio veritatis in quaque re siue necessaria, siue contingenti, & sic in omni ente inest scientia.
- Apprehensio veritatis in re aliqua necessaria communiter accepta, & sic est scientia rerum omnium naturalium siue sint substantiæ, siue accidentia.
- Apprehensio alicuius necessarii simpliciter, siue sit per causam, siue non sit, & sic hoc verbum se extendit ad notitiam principiorum.

Apprehensio veritatis in re necessaria per causam propriam & proximam, & hoc est scire propter quid, quod est effectus demõstrationis propriæ, & de hoc potissimum agitur in hac quæstione.

Oppon.

De deo, de separatis substantijs, de principijs demonstrationis habemus scientiam, sed non per causas: ergo male definitur scire.

Resp.

Dupliciter distinguitur scientia. { *Quæ ostendit propter quid sit, per causas, & sic istorum non habemus scientiam* / *Quæ ostendit quia res est, per effecta, & talem habemus eorum scientiam.* }

Oppon.

Multa sciuntur, quæ aliter se habere possunt, vt omnia naturalia corpora: ergo male illa particula in definitione sciendi ponitur.

Resp.

Quamuis natura rerum singularium mutetur, specifica tamen natura quæ sciri dicitur, non est mutabilis: si vrgeas, quod solum Deus sit incommutabilis ex 12. Metaphysices, respondeo Deum esse incommutabilem per essentiam, res alias vero vel per influentiam quam Deo acceptam referunt, vt Spiritus, vel per cohærentiam suã sine vlla temporis iniuria, vt omnia vniuersalia, quæ ideo æterna & incommutabilia dicuntur, qui nullam sui iacturam in tempore patiuntur.

Res incommutabiles dupliciter.

Quid & quotuplex Demonstratio: Quid & quotuplex scientia.

Finis demonstrationis scire. *Solutio dubitationis.*

Demonstrationem, inquit Aristoteles, voco ratiocinationem, quæ scientiam ob id gignere dicitur, quod illa animo comprehensa, statim rem sciamus. Hæc definitio a fine ducitur: nam scire, vt ante dictum est, habetur finis demonstrationis. Si vrgeas, quod scire aliquando causa demonstrationis, aliquando effectus ab Aristotele dicatur, non est absurdum, diuerso respectu vtroque nomine appelletur. Nam vt sanitas est causa ambulationis in genere causæ finalis secundum vim suam quam habet in intentione, effectus vero in genere causæ efficientis, secundum essentiam quam habet ex parte rei: ita scientia quatenus est in apprehensione discentis, est causa finalis demonstrationis, quatenus vero est in actu habituque scientis, effectus demonstrationis vere dicitur. Altera est definitio, habita comparatione materiæ in demonstratione, nempe quod demonstratio sit ratiocinatio ex immediatis, veris, primis, & necessarius constans. Hæc omnia duplicem respectum habent rerum & propositionum. Nam in vtroque veritatem & necessitatem vi demonstrationis quærimus. Per immediata ergo proxima enunciata: per vera, sua ipsorum luce conspicua: per prima, ipsa rei demonstrandæ elementa: per necessaria suo statu permanentia, & veluti inconcussa intelligimus. Omnia enim in demonstratione, vera sine fuco, certa sine motu, necessaria sine vllo casu lapsuque naturæ esse debent. Immediata enim sunt quæ proxime essentiam referant: vera, quæ sibi fidem suo iure vendicant, prima quæ a forma suo nomen sortiuntur, necessaria quæ nullo modo sua natura dem[o]uentur: aliter enim ac sunt se habere non possunt. Quid multis? Immediata essentiam, vera fidem, prima ordinem, necessaria cohærentiam denotant.

Scientia est causa finalis & effectus. *Demonstratio definitur materialiter.*

Verum, primum, necessarium immediatum quid.

Non est hic prætereundum, duplicem esse demonstrationem: propriam

Duplex demonstratio.

quæ est per causas, communem quæ per effecta datur. Illius, medium est definitio, finis absoluta scientia: huius autem medium est propria passio, finis respectiua rerum cognitio: illa demonstratio vulgo propter quid, hæc demonstratio vulgo, quia est, nominatur; ex illa denique ordo naturæ, qui est a causis ab effecta, a hac ordo disciplinæ, qui est ab effectis ad principia nascitur. Facile iam est quid sit scientia & definire, eamque in suas partes distinguere. Absoluta ergo scientia est habitus multis absolutis demonstrationibus constans: comparata vero, qualis est Dialectica ex multis minus proprijs demonstrationibus coalescit. Qualis est ergo rerum demonstratio, talis futura est hominum scientia.

Sciëtia quid.

Demõstratio propria & impropria.

Demonstratio est aut
- Propria, quæ definitur perfecta ratiocinatio, ex primis, veris, necessariis, & immeditatis propositionibus constans, cuius medium est essentialis definitio, cuiusque finis est absoluta scientia.
- Minus propria, quæ definitur certa rationatio, ex veris & necessariis constituta, cuius medium est propria passio, & cuius finis est respectiua scientia, quæ vulgo subalternata dicitur.

Oppon.

Vltima non sunt prima: sed demonstratio constat ex vltimis & proximis rerum propositionibus: ergo non constat ex primis.

Resp.

Prima capiuntur aut pro
- *Remotis principijs rerum, & sic transcendentia prima dicuntur.*
- *Maxime proprijs causis rerum, ad conclusionem demonstrationis accommodatis, & sic hoc loco apposite accipiuntur.*

Oppon.

Ex falsis aliquando verum concluditur, vt ait Aristoteles: ergo non tantum ex veris, vt habetur hic in textu.

Resp.

Ex falsis concludi potest aliquando verum, non tamen propter quid: nam falsum non est causa veri: recte ergo dicitur, ex veris nil nisi verum, ex falsis nil nisi falsum, si causæ cohærentiam spectes, sin minus, per accidens verum ex falso, falsum ex vero sæpe concluditur, vt in paralogismis omnibus Sophistarum.

An omnia cadant in demonstrationem & scientiam.

Interpretum lucta.

Quę sciuntur & demonstrãtur.

VT Heraclitus omnia ignorari, ita quidam omnia sciri & demonstrari putarunt. Ne ergo nostra cognitio vacillet & vagetur, dum nullum quasi perfugium habemus, in quo quiescere & certi esse possimus, docendum est quæ sciri ac demonstrari possunt, quæque non possunt. Tædium est videre quosdam interpretes verbosius de hac re quasi in olympo colluctantes. Certum est vno verbo totam hanc dirimi posse controuersiam, si dicamus cum Aristotele, illa tantum sciri, illa solum demonstrari, quæ aliter se habere non possunt. Hac sua sententia proculdubio principia rerum & artium propria intelligit: rerum, vt sunt materia, forma, definitiones proximæ: artium, vt sunt indubitata axiomata, quæ apud omnes eundem sensum postulant: vt, omne totum est maius sua parte, si æqualibus æqualia demas, relinquuntur æqualia. Vera ergo, non falsa, certa non fluxa, æterna non caduca, necessaria non fortuita, præsentia no

tia non futura, omnia denique quæ aliter se habere non possunt, non quæ mutari possunt sciuntur & demonstrantur. At dices: Credimus principijs; principia non scimus: non est enim quærenda principiorum ratio: non est ergo eorum aliqua demonstratio. Fatemur per priores causas principia prima nec sciri, nec demõstrari: nam sic esset progressus in infinitum: vt tamen hæc demonstrant sua effecta, quia sunt causæ; ita in ordine disciplinæ demonstrantur, cum sint ignota. At principijs nihil est notius, nihil certius. Verum est semper, si naturam: falsum aliquãdo, si disciplinam spectes. Sciuntur ergo principia, sciuntur effecta: illa ex demonstratione, quia est, per propria, hæc ex demonstratione propter quid per suas causas & principia. Quare, etsi dicat Philosophus principiorum esse intelligentiam, non scientiam; ita tamen non est intelligendus, ac si dixisset non omnino sciri principia, sed sic non sciri aut demonstrari, vt ipsorum effecta, id est, non sciri per alias causas & principia.

Sciuntur principia.

6. Eth.

Ad illa quæ in demonstrationem cadunt requiruntur tria,
- Stabilitas conueniendi, vt non fluctuent sicut accidentia.
- Veritas prædicandi per se, vt non mutentur sicut singularia.
- Necessitas inferendi conclusionem, vt non negentur sicut probabilia, quæ tantum in opinione continentur.

Tria requiruntur ad ea quæ cadunt in demonstrationem.

Oppon.

Circulatio probationis in scientia non admittitur: ergo demonstratio effectus per causam, & causæ per effectum non est admittenda.

Resp.

Licet per effectum indagemus causam, multo perfectius tamen effectum per causam demonstramus. Non est ergo inutilis iste circulus probandi: nam secundum ordinem naturæ & disciplinæ distinguitur.

An modi conueniendi per se recte statuantur, & quænam sint partes Demonstrationis.

PRIMA seminaria Demonstrationis ab Aristotele assignantur tria, propositio, positio, dignitas. Propositio est ratio demonstratiua rei, quæ posita non permittit respondenti partem aliquam negare. Positio est propositio immediata, quæ non potest a priori demonstrari. Dignitas est immediata enunciatio, seu axioma, quod notam demonstranti vim conclusionis habet. Positio stabilitatem principiorum, propositio necessitatem rerum, dignitas vtriusque lumen in nexu rationis continet. Ex his inter se collatis elicitur hæc vtilis tractatio de modis per se conueniendi. Sed antequam illam aggredimur, proprietates quædam horum principiorum sunt explicandæ, nempe Dici de omni, Dici per se, & Dici vniuersaliter. Dici de omni, est simpliciter ac omnino subiecto vniuersali conuenire, omnibusque sub eodem comprehensis, vt animal homini eiusdemque indiuiduis. Per se dici proprie ad solum vniuersalem substantiam pertinet. Dici autem vniuersaliter tam in substantijs quam in accidentibus versatur. His positis, qui & quot modi sint conueniendi per se breuiter dicemus. Modus per se conueniendi est, (vt placet Themistio,) qui veritatem aliquam cognitionis, & necessitatem conclusionis docet: hic vero aut respicit relationem formæ ad subiectum, aut materiæ ad accidens, aut efficientis ad suum effectum, aut definitæ causæ ad suum attributum. Sic in primo modo sunt prædicata quæ quid sit

Propositio, positio, dignitas, quid in demonstratione.

Dici de omni per se, & vniuersaliter.

Modus per se conueniendi quid & quotuplex.

explicant, vt definitio & partes definitionis: in secundo sunt prædicata quæ definiuntur per sua subiecta, vt propria passio, & rei germana aliqua affectio: in tertio sunt omnia subiecta prædicationis, id est inferiora, quæ per se prioribus in eodem ordine conueniunt & dicuntur: in quarto sunt omnia quæ certam & definitam causam prædicati continent, vt si dicamus iugulatum interiisse. Recte Thomas dixit primum modum esse per se prædicandi: secundum per se inhærendi: tertium per se existendi: quartum per se causandi. Sed quorsum hæc omnia? vt intelligamus in demonstratione & quia est, & propter quid, ea solummodo esse admittenda, quæ proxime rebus conueniunt, quæ veritatem cognitionis præstant quæ necessitatem dicendi de suo subiecto habent: quæ vim conueniendi per se & non per accidens in demonstratione continent. Sed aduerte, non omnia quæ per se conueniunt, in omni demonstratione comprehendi. Quæ enim per se primo modo conueniunt, ad demonstrationem propter quid, quæ vero in reliquis continentur, ad demonstrationem quia est, quodammodo pertinere dicuntur.

Cautio vtilis. Aliquid per se conuenit bifariam.

Aliquid per se conuenit, aut.
- Primatio vel vt
  - Totum, sicut definitio.
  - Pars sicut genus & differentia, & sic constituitur primus modus.
- Minus primario, aut quoad.
  - Essentiam, sic subiectum accidenti conuenit in secundo.
  - Existentiam, sic propria passio & innatum accidens conueniunt subiecto tertio modo.
  - Consequentiam necessariam, sic multa euenta fiunt necessario: exempli causa, si cor vulneretur, necesse est vt homo moriatur.

Principia demonstrationis sunt aut essendi aut cognoscendi.

Principia demonstrationis sunt aut
- Essendi
  - Propria, quæ proximum esse tribuunt, vt anima rationalis.
  - Communia, quæ remote constituunt, vt substantia hominem.
- Cognoscendi
  - Propria, quæ sunt dignitates, id est, axiomata cuiuis arti accomodata.
  - Communia, quæ sunt dignitates & propositiones generales.

An Ars, Opinio, Intelligentia, Suppositio in nomine scientiæ conueniant.

Quanti æstimanda sit rerum scientia. 1. Metaphys. Omnes homines scire desiderant. Principia & obiectum scientiæ.

IN arce musarum excelsam quasi sedem occupat scientia. Nam est præ cæteris mentis virtutibus longe augustissima. Hæc enim veluti plena acumine, æquis vt aiunt lancibus, doctorum rationes & argumenta ponderat. Si sint leuia, tanquam paleam reijcit, ponderosa vero tanquam aurum recipit. Ad hanc ergo miro naturæ instinctu adeoque diuino quodam afflatu rapimur. Duo sunt inter multa, quæ magnopere commendant scientiam: rerum quas tractat perpetuitas, & rationum quas tradit inconcussa veritas. Res enim interituras non demonstrat, mendaces rationum vmbras non admittit, immo a suis finibus in oras Sophistarum pellit. Hæc duo principium & obiectum scientiæ dicuntur. Nam in re

in re vt in principio, in ratione rei vt in obiecto, in mente humana vt in subiecto ponitur. Ex his jam facile elucet, vt opinor, quid sit scientia. Si enim eam definire desideres, est firma rerum perpetuarum ac verarum demonstratio: vel si placet, est constans mentis habitus multis demonstrationibus per se acquisitus. Nunc speculemur quæso, an Ars, Opinio, ac reliquæ cognitiones rerum sub nomine scientiæ contineantur. Contineri puto, confundi non puto. Nam Ars est incertior scientia, opinio incertior arte, suppositio opinione leuior, intelligentia suppositione celerior: celerior, inquam, quia sine vllo pondere rationis, ipsa principia auide apprehendit: est siquidem habitus principiorum. Si artem definias, est multorum præceptorum tendentium ad vtilem finem humani generis comprehensio. Si de opinione quæras, est anceps mentis assensio non sine formidine, vt aiunt, an verum vel falsum id sit de quo opinaris. Suppositio denique (nam intelligentia ante definita est) est dubitatio mentis de veritate & falsitate propositionis diuersis rebus accommodatæ. Concludo iam paucis: Ars, opinio, suppositio, de certis & incertis, de vniuersis & singulis, de æternis & caducis; de his quæ sunt & quæ non sunt sæpe traduntur: at scientia in certis, æternis & indubitatis versatur; ergo quamuis sub nomine scientiæ contineantur, veræ tamen scientiæ dici non debent. Postremo intelligentia hinc distinguitur, quia demonstratione non vtitur.

Scientia quid *Ars quid.* *Opinio quid* *Suppositio quid.*

Distinctiones harum omnium apprehensionum.

Scientia est, { Absoluta, quæ habet demonstrationes per se, vt Metaphysica. / Subalternata, quæ alteri scientiæ vt pars subijcitur, sicut medicina naturali Philosophiæ, iurisprudentia morali. }

Ars est { Liberalis, cujus finis est mentis contemplatio. / Mechanica, cujus finis est opus vel actio. }

Opinio duplex { Naturalis, quæ est incerta imaginatio. / Artis præceptis formata, quæ est certa cognitio: hinc opinio Platonis, vel Aristotelis dicitur, cum sit quædam certa notitia. }

Suppositio est vel { Complexa, in hypothetica propositione: / Simplex, in ancipiti ac categorica quæstione. }

Intelligentia sumitur aut { pro { Potentia mentis, vt in tertio de anima. / Habitu principiorum, & sic hoc loco. } }

An vnitas scientiæ ab vnitate subiecti dependeat, & An vna scientia alteri subijciatur.

EO omnis de Demonstratione instituitur disputatio, vt omnia quæ ad scientiam spectant accurate consideremus. In scientia ergo secundum sententiam Aristotelis considerari debent, principium a quo fluit, subiectum in quo constat, obiectum quod tractat, instrumentum quo vtitur, & finis ad quem refertur. Principium est, vt supra diximus, aut constitutionis quod essentiam: aut cognitionis, quod disciplinam respicit. Subiectum est quasi seminarium in quo fundatur, vt ens commune, ens rei in naturali Philosophia. Obiectum est, quod præceptis traditur, vt scibile. Instrumentum est, quo res scibilis probatur, vt demonstratio. Finis est, propter quem fit, vt ipsa rerum sapientia.

Principium, obiectum, instrumentum, finis scientiæ.

Vnitas scientiæ ab vnitate subiecti pendet.

His iam positis, facile patebit a quibus vnitas distinctioque cuiusque scientiæ nascitur, nempe ab vnitate subiecti, & ab vnitate finis. (Subiectum attributionis hic intelligo, finemque vltimum cuiusque artis. Est enim subiectum partis, & est subiectum totius scientiæ: partis, vt vox vniuersalis in notitia prædicabilium, res in scientia prædicamentorum: totius, vt multitudo in Arithmetica, magnitudo in Geometria) Ab vnitate subiecti, quod toti arti conuenit, vnitas scientiæ pendet. Nam de eo solum proprietas vna demonstratur, ex qua proprietate demonstrata de vno subiecto vnitas scientiæ constituitur. Itidem vnitas finis in omni arte vnitatem scientiæ arguit. Habet enim omnis scientia vnum finem, tanquam scopum vltimum, ad quem refertur, propter quem fit, per quem ab alijs etiam distinguitur: Nam vt ab vnitate subiecti, & finis vna scientia dicitur, ita a diuersitate subiecti & finis alia aliaque appellatur. Subiecta est, & vt loquuntur veteres, subalternata vna scientia alteri, id est; vna sub altera continetur: idque ob hanc causam, auctore Philosopho, quia sua quodammodo principia, nec non subiecta ab altera mutuatur: sic ars perspectiua Geometriæ, sic medecina Philosophiæ subest. Primaria scientia per primas & immediatas causas probat minus vero primaria communia principia & remota discutit. Sic olim Anacharsis percontanti cuidam cur Scythia tibicines non haberet, respondisse fertur, quia Scythia vites non ferret: reddidit quidem causam remotissimam: nam proxima hujus rei causa erat, quod Scythæ temulenti non fierent.

Vnitas finis arguit vnitatem scientiæ.

Subalternatæ scientiæ.

Anacharsis.

Vnitas scientiæ quot modis probatur.

Vnitas scientiæ probatur ab vnitate.
- Principij, si sit proximum & immediatum.
- Subiecti, si sit commune omnibus in eadem scientia tractatis
- Finis, si sit vltimus non medius.

An deficiente sensu, deficiat scientia eorum obiectorum, quæ nata sunt eundem mouere sensum.

Sensus duplex ratio.

SENSVM distinguit Philosophus in actum & potentiam: nam pro actu sed pro potentia acceptus ad nostrum iam institutum pertinet: per potentiam dico, non vt suas species recipit & transfundit, sed vt vitio naturæ corruptus, aut casu aliquo sublatus, ab ipsa natiuitate deficit. Sic enim deficiente, omnis scientia illarum rerum quæ proprie eundem pulsarent sensum, labefacta concidit. Nam cum externi sensus sint quasi nuncij, & interni judices eorum omnium quæ sciuntur, cumque anima (vt antea probatum est) sit rasa quasi tabula nullis insitis & concreatis formis depicta, sed solum illis, quas a sensibus externis recipit, instructa: perspicuum est, non solum obscurari, sed obrui & extingui cognitionem obiecti, si primum ejusdem sciendi instrumentum penitus deficiat atque tollatur. Præterea cum scientia sit habitus conclusionis, cumque ignotis principijs, nulla conclusionis habeatur notitia, cum denique ipsa principia cognosci non possint, nisi per sensum, memoriam, & experientiam, vt ait Philosophus; sequitur sublato sensu tolli etiam scientiam. Si vrgeas intellectum esse digniorem ac nobiliorem potentiam, & proinde non dependere a sensu: agnosco esse; non tamen sequitur, quin sensu vt seruo vtatur in percipienda scientia.

Externi sensus sunt nuncij internorum sensuum.

Defectio sensus duplex.

Defectio sensus impediens scientiam, est vel in
- Actu, bifariam, aut per
  - Læsionem organi, vt in surdastris.
  - Defectionem ingenij, vt in infantulis, qui licet actum habeant sentiendi motum tamen sciendi non habent.
- Potentia, aut per
  - Priuationem post ortum, quæ defectio non intelligitur.
  - Negationem in ipso partu, quæ defectio tollit scientiam.

Oppon.

Spectat hæc quæstio ad Philosophos, vt patet libro de sensu: ergo inconsiderate hic mouetur.

Resp.

Non de sentiendi natura, sed de sciendi modo hic quæritur, qui modus cum a sensu dependeat, necessario hanc quæstionem postulat.

Oppon.

Posito, quod aliquis sit cæcus a natiuitate, potest tamen per auditum scientiam colorum parare: ergo deficiente sensu, non deficit scientia obiecti.

Resp.

Etsi acquiri possit confusa quædam cognitio de communibus præceptis: nulla tamen de propriis obiectis acquiritur scientia.

An ignorantia sit causa erroris in Demonstratione, & scientia: & An solertia sit habitus inueniendi medij.

QVI siti æstuant recte sapiendi multa, certatim debent contendere, vt ignorantiam a se longissime tundant, & profligent: est enim scientiæ inimica, omniumque errorum fons & origo. Hanc distinguit Aristoteles in ignorantiam negationis, & in ignorantiam affectionis. Illa est nuda & simplex scientiæ defectio, seiuncta ab omni prauitate opinionis, & peruersitate mentis, qualis est in pueris, qui adhuc neruos rationis non habent, & in ignaris qui acie ingenij non imbuuntur: hæc vero, quæ affectionis ignorantia dicitur, est praua opinio seu persuasio, qua deceptus aliquis se putat id omnino scire quod in rei veritate penitus ignorat. Affectionis autem ignorantia dicitur, quia illius animus, cui contingit, quadam persuasione sciendi affectus est. Hæc est, hæc est (inquam) ignorantia quæ opponitur scientiæ, qua lumen animi perstringitur, qua splendor veritatis obruitur, qua portentosa errorum & hæreseon hydra in omni arte & scientia gignitur. Illius enim comes est contumax animi peruersitas, qua semel obcæcati sonsu veritatis, non sensum, vmbram non rem ipsam quærimus, immo falsum pro vero sæpe pertinaciter defendimus. Ne igitur hoc animi morbo laboremus, in Ethicis modestiam tanquam habenam, in Analyticis solertiam tanquam medicinam docet Philosophus, vt illa retracti a vanitate, per hanc veritate instructi, anchoram sapientiæ teneamus. Quod ista ignorantia sit causa erroris in demonstratione & scientia, nemo est tam ignarus qui non videat, præsertim cum sit præcipua causa incognita pro cognitis, confusa pro certis, falsa pro veris, fortuita pro necessarijs in demonstrationem admittendi, & proinde occasio turpiter errandi & hallucinandi in scientia. Sapienter istius morbi remedium posuit Aristoteles in so-

Ignorãtia est negationis & dispositionis. Negationis.

Ignirantia affectionis.

NOTA

Duo animi pharmata.

Intelligentia est principiorum.
Solertia est mediorum.

lertia, quæ est sagax & veluti repentina coniectatio, inuentioque medij: exempli causa, si quis eam partem Lunæ, quæ solem versus semper vergit, lucidam animaduerterit, continuo id fieri dicet, quia luna a sole suum lumen deduxerit. Est ergo intelligentia habitus principiorum: est autem solertia habitus mediorum.

Fuga ignorantiæ consistit in
- Modestia, si discas tuo ipsius ingenio diffidere, & si non graueris te doctiores studiose consulere.
- Solertia, quæ acquiritur non communium locorum furtiua lectione, sed laborioso doctissimorum studio & contemplatione.

An quatuor genera quæstionum, quæ assignantur a Philosopho, sciri ac demonstrari possint.

Diuersis modis sumitur quæstio.
Quæstio quadruplex.

ALiter in Analyticis, aliter in Topicis definitur quæstio. Illic enim sub nomine quæstionis vtraque pars contradictionis intelligitur: hic vero vna pars tantum quæ est vera comprehenditur: illic dubia & anceps est interrogatio; hic tantum ad veritatem est astricta propositio: illic vtramque partem cuiuis sumere liberum relinquit, hic vnam partem medio aliquo demonstrandam proponit. Huius generis quatuor traduntur: an sit, quid sit, quia est seu quod est, & propter quid. Duæ priores sunt simplices, quia solum subiectũ complectuntur, vt an sit homo: quid sit homo. Duæ posteriores dicuntur coniunctæ quia tam subiectum quam prædicamentum continent, vt quia homo est ridendi facultate præditus, & propter quid est sermone excultus. Monendus est hic studiosus Lector, quod tertia illa quæstio non tam interrogatio quam asseueratio dici debet. Nam quamuis per quæstionem moueri quidem potest, vt an prædicatum inhæreat subiecto: tamen cum propria sua nota & signo proponitur, magis rationem & causam quam interrogationẽ insinuare videtur. Non est omnino cuiquam dubitandum, quin omnia hæc genera quæstionum demonstrari, scirique possint, ab illis enim & ab illarum singulis medium demonstrationis petitur. Medium hic definit Philosophus causam per quam aliquid alteri competere vel non competere probatur. Quæstio, an sit, causam: quid sit, totam essentiam: quale sit, proprium: propter quid sit, finem ostendit. Si ergo causarum genera, omniaque necessaria demonstratione atque scientia illustrari possint, non est quod dubitemus quin etiam hæc quæstionum genera ad eundem modum explanentur. Definitur quæstio hoc loco interrogatio alicuius propositionis discutiendæ per demonstrationem, ad quam hæc tria requiruntur, principium, medium, finis: principium rei vel rationis, probationis medium, finis denique ad quẽ refertur.

Breuis & vtilis quæstionis explicatio.
Quæstionis definitio.

[A]mplitudo [quæs]tionis [...]

Omnis quæstio demonstrabilis mouetur, aut de
- Ente
  - Generatim, an sit,
  - Specialtim, quid sit.
- Proprietate entis, quæ spectat
  - Inhærentiam attributi ad subiectum, & sic est quæstio quia est.
  - Causam inhærentiæ, & sic est quæstio, propter quid.

Opponens.

Quid demonstrat non interrogat, vt habetur primo Priorum: ergo minus apposite hic docetur, quod quatuor quæstiones sunt demonstrabiles.

Resp.

Resp.

Quanquam non interrogat de vtraque parte contradictionis, tamen de altera potest.

An sit difficillimum rem scire.

NON datur ad Musas currere lata via. Minerua in bicipiti Parnasso habitat. Omnis scientia praeclaram indolem, magnamque industriam diligit: segnis enim otioque deditus (vt ait Seneca) arte semper, vitio nunquam caret. Non ergo inepte Philosophus rem omnium difficillimam scire cogitauit: difficillimam dico quia principia demonstrationis & scientiae sunt magnis & multis obscuritatibus implicata: quia ingenia humana sunt mole corporis quasi depressa & impedita: quia est vna sciendi via, errandi multa principia: quia obtusi sunt, adeoquesaepe mendaces humani sensus, qui sunt (vt ait Aristoteles) prima sciendi organa & instrumenta Curas, affectus, aliasque mille causas non recenseo. quia obiter adhortandi potius quam demonstrandi causa hanc quaestionem moueo.

Desidiosi inertes sunt.

Sensus humani mendaces

Difficultas sciendi contingit, propter { Mentis humanae debilitatem. Principiorum obscuritatem. Sensuum infirmitatem, qui sunt mentis quasi internuntij. Mediorum cognitorum paucitatem.

Difficultas sciendi vnde?

An prima figura sit aptissima, & ad sciendum, & ad demonstrandum.

MAterialia principia demonstrationis, (vt aiunt veteres) sunt illa quae iam diximus: formalia autem sunt modus & figura: ex illis vim & causam, ex his ordinem demonstrandi petimus. Quid modus, quid figura sit, ex primis elementis Dialectices liquido constat: nunc quaeritur solum, an prima figura sit omnium aptissima & ad sciendum & ad demonstrandum: Esse concludit Philosophus. Existente enim demonstratione omnium argumentationum nobilissima necesse est vt figurarum omnium dignissima ei coaptetur. Est vero ad discutiendũ & ad concludendũ aliquid prima figura longe aptissima: quia in ea optime medium disponitur, directissime concluditur, affirmatio vniuersalis infertur, in reliquis autem medio, aut bis subiecto, aut bis praedicato existente, tam accurata rerum cohaerentia demonstrari non potest: vtrinque n. subiectum ad attributum & attributũ ad subiectum in praemissis non refertur. In prima vero figura cum medium sit subiectũ maioris & minoris attributum, conuersim (vt aiunt) mediorum & extremorum summa consensio demonstratur, quod in scientia maxime requiritur. Directam conclusionem in hac figura inesse nemo negabit, cum maior extremitas de minore extremitate in conclusione praedicetur. Postremo quod vniuersalis affirmatio in hac sola figura inferatur, patet, quia omnis conclusio in secunda negat, in tertia nullus modus vniuersalem conclusionem habet: cum ergo demonstratio ac scientia magis in affirmatione quam in negatione, magis in vniuersis quam in singulis versetur, recte concludit Philosophus tam ad sciendum quam ad demonstrandum primam figuram esse praestantissimam.

Modus & figura sunt formalia principia demonstrationis.

1.

2.

Medium optime in prima figura disponitur concluditurque.

3.

4.

Prima figura aptissima ad demonstrationem cur?

Prima figura aptissima est ad demonstrandum, propter
- Dignitatem affirmantis conclusionis: nam dignior est affirmatio, quam negatio in omni scientia.
- Firmitatem prædicationis, quia directe maior extremitas de minore dicitur, aptissimeq; medium disponitur.
- Perfectionem reductionis, quia omnes reliquarum figurarum modi ad primam figuram vt ad dignissimam reducuntur.

Oppon.

Docet Philosophus fieri demonstrationes in reliquis figuris: ergo etiam aliæ figuræ sunt accommodatæ ad demonstrandum.

Resp.

Fiunt quidem, sed non tam perfecte & absolute ac in prima. Alij respondent, Philosophum id conari vt doceat demonstrationem propter quid, in sola prima contineri.

An Mathematici veris demonstrationibus perpetuo vtantur.

Quæstionis difficultates

RES plane triuialis, ac nullius fere momenti quibusdam videtur, in quæstionem vocare, an Mathematici veris demonstrationibus perpetuo vtantur: hoc (inquiunt) nihil aliud est, quam dubitare, an vllæ Mathematicæ sint scientiæ. Horum pace id dicam, rem nullam vel incertius moueri, vel spinosius tractari in hac arte ab interpretibus: nam etsi exempla Aristotelis plerunque ex his artibus petuntur, etsi multæ & variæ demonstrationes ex principijs earum artium fluunt, etsi conclusiones firmissimæ & perspicua præcepta inde colliguntur, non est tamen res tam extra omnem aleam litis & controuersiæ, quin possit lancibus rationis subtilius ponderari. Proponam ergo argumeeta vtriusque partis & illorum qui negant, & illorum qui aiunt, vt pondus vtrinque spectantes, certiora eligamus. Qui negant Mathematicos veris demonstrationibus vti, primum quærunt, an res vel species rerum sint subiectæ Mathematicarum artium. Cum in confesso habent, non res sed species rerum, sic ratiocinantur, nempe nullas species & intentiones posse definiri, ac proinde non posse demonstrari. Argumentum trahunt ex Aristotele qui intentiones inter accidentia annumerat, quæ nec in definitionem, nec in demonstrationem cadunt. Præterea hoc vehementer vrgent, quod species & ideæ Mathematicæ in nullo prædicamento definite ponantur, cũ non sint res: vnde concludunt nulla habere certa principia ex quibus demõstrentur. Iterum in nullo definito subiecto continentur hæ species: ergo certo modo ac ratione demonstrantur. Si dicas habere, ostendas velim, in quo subiecto sint omnes circuli, quos fingunt Astronomi, vbi omnes numeri quos fingunt Arithmetici. Si dicas in substantia, abstractionem negas: si dicas in animo, definitionem tollis: nam entia rationis non definiuntur. Postremo falsa ac fallax est illa demonstratio, in qua res aliter ac sunt intelliguntur: sed ita in omni Mathematica demonstratione contingit, exempli causa: Diameter, Zodiacus, Æquator ab Astronomo definiuntur: veruntamen si rem subiectam quæras, nusquam apparet: sequitur ergo Mathematicos veris non vti demonstrationibus. Hæc omnia adduxi, vt non de lana caprina (vt est in prouerbio) videretur moueri hæc quæstio. Nunc restat, vt vno verbo, quid sim in hac re animi explanem. Certe cum doctissimis existimo, Mathematicos verissimis demonstrationibus res illustrare. Nam etsi res proxime sibi subiectas non habeant, etsi in certis & definitis categorijs suas species

Explicatio quæstionis in vtramque partem.

Dilemma.

Propria opinio.

species non reponant. prima tamen certaque principia cognitionis ac scientiæ habent, quæ sane ita informant rationem, vt inde firmissimæ demonstrationes colligantur. Non enim semper in scientia principia constitutionis quærimus, sed principia potius cognitionis, qualia sunt axiomata, dignitates propria, discutimus ac meditamur, quæ cum sint in Mathematicis longe certissima, (vt hoc, medium est quod æque ab vtroque distat extremo) non est causa quin dicamus Mathematicos demonstrationibus suas artes perpolire, suaque præcepta per cautas cognitionis illustrare.

Principia cōstitutionis & cognitionis.

Principia cognitionis in Mathematicis sunt duplicia.
- Remota, vt species abstractę, adeoque ipsæ abstractiones.
- Proxima, vt axiomata, & dignitates, quæ de abstractis formis ab illis traduntur, vnde demonstratiuæ scientiæ dicuntur.

Principia cognitionis duplicia in Mathematicis.

An multæ demonstrationes tradi possint vnius rei, &. An reduci possit omnis conclusio demonstrationis ad sua principia.

SCIO equidem sæpius errare & hallucinari illum qui omnia ad calculos sui ingenij exigit. Vt ergo hactenus, ita nunc quidem placet maiores in hac re consulere. Sunt enim ex minoribus & neotericis aliquot, qui ab opinione veterum & optimorum interpretum desciuerunt, statuentes vnam vnius rei solam demonstrationem adhiberi posse: sed erratum est, idque sine vlla specie acuminis. Verum vt id re non verbis probem, hoc vnum in primis quæro: An vnius rei puta hominis, plura sint principia pluraque propria. Si neges, conuincet ratio: si affirmes, quid quæso impediet quo minus ingeminetur vnius & eiusdem rei demonstratio? Multa enim principia, multaque propria numerosam demonstrationem pariunt. Præterea, vt plures causæ vnius rei esse possunt, ita plures causarum connexiones, quæ in formam argumenti coactæ, recte a Philosopho demonstrationes nominantur. Quid enim aliud est demonstratio, quam causarum cum effectis per conclusionem manifesta connexio. Postremo contingit plura vnius rei esse principia cognitionis, a quibus deduci etiam possunt demonstrationes. Si ergo aliquando interna sint plura principia vnius rei, nimirum proxima & remota, si plures sint causæ nimirum insitæ & assumptæ, si denique plura sint axiomata & cognitionis seminaria, certe non video quin res vna pluribus demonstrationibus adornetur.

In omni Interprete laudabile est suo ipsius ingenio diffidere.

Plures vnius rei possunt esse demonstrationes.

De altera quæstione, scilicet, An omnis conclusio demonstrationis reducatur ad sua principia, non est magna controuersia. Nam constat reduci posse: manca enim & mutilata est conclusio, quæ suas causas non intuetur: a causis enim fluit. & ad causas reuocatur. Conclusio, vt ait Rodolphus, est effectus præmissarum, imo (teste Philosopho) sua principia vi quadam continet. Reducitur ergo vt effectus ad causam a qua fluit, reducitur vt nexus extremorum ad mediū a quo dependet. Nam actu extrema habet, potentia medium comprehendit.

Quæstio secunda.

NOTA

Prima figura aptissima ad demonstrationem cur.

Prima figura aptissima est ad demonstrandum, propter
- Dignitatem affirmantis conclusionis: nam dignior est affirmatio, quam negatio in omni scientia.
- Firmitatem prædicationis, quia directe maior extremitas de minore dicitur, aptissimeq; medium disponitur.
- Perfectionem reductionis, quia omnes reliquarum figurarum modi ad primam figuram vt ad dignissimam reducuntur.

Oppon.

Docet Philosophus fieri demonstrationes in reliquis figuris: ergo etiam aliæ figuræ sunt accommodatæ ad demonstrandum.

Resp.

Fiunt quidem, sed non tam perfecte & absolute ac in prima. Alij respondent, Philosophum id conari vt doceat demonstrationem propter quid, in sola prima contineri.

An Mathematici veris demonstrationibus perpetuo vtantur.

Quæstionis difficultates

RES plane triuialis, ac nullius fere momenti quibusdam videtur, in quæstionem vocare, an Mathematici veris demonstrationibus perpetuo vtantur: hoc (inquiunt) nihil aliud est, quam dubitare, an vllæ Mathematicæ sint scientiæ. Horum pace id dicam, rem nullam vel incertius moueri, vel spinosius tractari in hac arte ab interpretibus: nam etsi exempla Aristotelis plerunque ex his artibus petuntur, etsi multæ & variæ demonstrationes ex principijs earum artium fluunt, etsi conclusiones firmissimæ & perspicua præcepta inde colliguntur, non est tamen res tam extra omnem aleam litis & controuersiæ, quin possit lancibus rationis subtilius ponderari. Proponam ergo argumenta vtriusque partis & illorum qui negant, & illorum qui aiunt, vt pondus vtrinque spectantes, certiora eligamus. Qui negant Mathematicos veris demonstrationibus vti, primum quærunt, an res vel species rerum sint subiectæ Mathematicarum artium. Cum in confesso habent, non res sed species rerum, sic rationantur, nempe nullas species & intentiones posse definiri, ac proinde non posse demonstrari. Argumentum trahunt ex Aristotele qui intentiones inter accidentia annumerat, quæ nec in definitionem, nec in demonstrationem cadunt. Præterea hoc vehementer vrgent, quod species & ideæ Mathematicæ in nullo prædicamento definite ponantur, cũ non sint res: vnde concludunt nulla habere certa principia, ex quibus demõstrentur. Iterum in nullo definito subiecto continentur hæ species: ergo certo modo ac ratione demonstrantur. Si dicas habere, ostendas velim, in quo subiecto sint omnes circuli, quos fingunt Astronomi, vbi omnes numeri quos fingunt Arithmetici. Si dicas in substantia, abstractionem negas: si dicas in animo, definitionem tollis: nam entia rationis non definiuntur. Postremo falsa ac fallax est illa demonstratio, in qua res aliter ac sunt intelliguntur: sed ita in omni Mathematica demonstratione contingit, exempli causa: Diameter, Zodiacus, Æquator ab Astronomo definiuntur: veruntamen si rem subiectam quæras, nusquam apparet: sequitur ergo Mathematicos veris non vti demonstrationibus. Hæc omnia adduxi, vt non de lana caprina (vt est in prouerbio) videretur moueri hæc quæstio. Nunc restat, vt vno verbo, quid sim in hac re animi explanem. Certe cum doctissimis existimo, Mathematicos verissimis demonstrationibus res illustrare. Nam etsi res proxime sibi subiectas non habeant, etsi in certis & definitis categorijs suas species

Explicatio quæstionis in vtramque partem.

Dilemma.

Propria opinio.

species non reponant. prima tamen certaque principia cognitionis ac scientiæ habent, quæ sane ita informant rationem, vt inde firmissimæ demonstrationes colligantur. Non enim semper in scientia principia constitutioni quærimus, sed principia potius cognitionis, qualia sunt axiomata, dignitates propria, discutimus ac meditamur, quæ cum sint in Mathematicis longe certissima. (vt hoc, medium est quod æque ab vtroque distat extremo) non est causa quin dicamus Mathematicos demonstrationibus suas artes perpolire, suaque præcepta per causas cognitionis illustrare. *Principia cõstitutionis & cognitionis.*

Principia cognitionis in Mathematicis sunt duplicia.
- Remota, vt species abstractæ, adeoque ipsæ abstractiones.
- Proxima, vt axiomata, & dignitates, quæ de abstractis formis ab illis traduntur, vnde demonstrationes scientiæ dicuntur.

Principia cognitionis duplicia in Mathematicis.

An multæ demonstrationes tradi possint vnius rei, &. An reduci possit omnis conclusio demonstrationis ad sua principia.

SCIO equidem sæpius errare & hallucinari illum qui omnia ad calculos sui ingenij exigit. Vt ergo hactenus, ita nunc quidem placet maiores in hac re consulere. Sunt enim ex minoribus & neotericis aliquot, qui ab opinione veterum & optimorum interpretum desciuerunt, statuentes vnam vnius rei solam demonstrationem adhiberi posse: sed erratum est, idque si, e vlla specie acuminis. Verum vt id re non verbis probem, hoc vnum in primis quæro: An vnius rei puta hominis, plura sint principia pluraque propria. Si neges, conuincet ratio: si affirmes, quid quæso impediet quo minus ingeminetur vnius & eiusdem rei demonstratio? Multa enim principia, multaque propria numerosam demonstrationem pariunt. Præterea, vt plures causæ vnius rei esse possunt, ita plures causarum connexiones, quæ in formam argumenti coactæ, recte a Philosopho demonstrationes nominantur. Quid enim aliud est demonstratio, quam causarum cum effectis per conclusionem manifesta connexio. Postremo contingit plura vnius rei esse principia cognitionis, a quibus deduci etiam possunt demonstrationes. Si ergo aliquando interna sint plura principia vnius rei, nimirum proxima & remota, si plures sint causæ nimirum insitæ & assumptæ, si denique plura sint axiomata & cognitionis seminaria, certe non video quin res vna pluribus demonstrationibus adornetur.

In omni Interprete laudabile est suo ipsius ingenio diffidere.

Plures vnius rei possunt esse demonstrationes.

De altera quæstione, scilicet, An omnis conclusio demonstrationis reducatur ad sua principia, non est magna controuersia. Nam constat reduci posse: manca enim & mutilata est conclusio, quæ suas causas non intuetur: a causis enim fluit. & ad causas reuocatur. Conclusio, vt ait Rodolphus, est effectus præmissarum, imo (teste Philosopho) sua principia vi quadam continet. Reducitur ergo vt effectus ad causam a qua fluit, reducitur vt nexus extremorum ad mediũ a quo dependet. Nam actu extrema habet, potentia medium comprehendit.

Quæstio secunda.

NOTA

Per quæ fit [d]emonstratio.

Demonstratio fit aut
- Per principia constitutionis, quæ sunt aut
  - Proxima & immediata, & sic est vna sola demonstratio propter quid vnius rei.
  - Remota, & sic sunt plures.
- Per principia cognitionis, quæ sunt aut
  - Incomplexa, vt termini conuertibiles, sicut propria & quædem innata acidentia.
  - Complexa, vt axiomata, & sic etiam multiplex vnius rei fieri potest demonstratio.

Oppon.

Plures possunt esse demonstrationes vnius rei, ergo & plures scientiæ: nam omnis demonstratio est mater scientiæ.

Resp.

Vna est essentialis definitio cuiusque rei, vnaque per illam definitionem absoluta demonstratio, quæ scientiam parit ali? genera demonstrationum quæ sunt ad primã vt multæ lineæ ad centrum, reducuntur.

Oppon.

Medium nunquam ingreditur conclusionem: ergo inepte dicitur conclusio medium comprehendere.

Resp.

Non actu sed vi quadam dicitur comprehendere, quod verum est: nam extrema in demonstratione cognata sunt medio, extrema ergo non potest actu continere, quin facultate, & medium, quod est affine vtrique comprehendat.

An principia per se nota inductione cognoscantur.

Apprehensio & iudicium in mente considerari debent.

NImis molestus essem, si in hac thesi varias multorum opiniones recenserem, præsertim cum aliquot earum nullo sale ingenij condiantur. Rem ergo sine vllo verborum circuitu aggredior. Distinximus ante principia alia rei, alia cognitionis: illa sunt a quibus res suum esse accipit, vt materia, forma: hæc a quibus lumen cognitionis petit, vt propositiones, quæ sunt conclusiones causæ. Huc etiam spectat illud, quod intellectu humano duo spectentur, apprehensio & iudicium: per illam concipit, per hoc discernit: ad illam omnia obiectum sensuum deferuntur, per hoc delata, an vera an falsa sunt discutiuntur. Intellectu iam dependente, quæstio est, an in patentissimis illis principijs cognitionis maxime notis, sit mentis per inductionem ad sensum reciprocatio. Vna est probabilis opinio quod vniuersalia hæc cognitionis axiomata non omnino cognoscantur, nisi per gradus quosdam inductionis: exempli causa, si probetur omne totum maius esse sua parte, hoc aut illud totum sic esse probatur. Verum etsi primaria a sensibus deriuetur omnis animi nostri cognitio, non est tamen adeo sterilis quin ex formis apprehensis per intellectum alias eliciat, illisque si veræ sint assensum suum præbeat. Vt enim in gemma splendor, ita in mente lumen quoddam innatum est, quo illustrata facile credit & assentitur principijs, idque nullo inductionis medio instructa ac informata. Nam quamuis proxima artium principia inductione egent, remota tamen, qualia sunt, omne totum est maius sua parte, & si æqualia æqualibus demas, relinquuntur æqualia, luce quadam

Simile.

insita

insita ipsius intellectus percipiuntur. Verum attende; non simpliciter non negare hoc loco inductione posse & hæc probare principia, sed distincti adhibita per intellectum absolute, per inductionem comparate hoc fieri constituimus: insitam enim nobis principiorum notitiam cum Aristotele docemus quoad intellectum, qui suo ipsius lumine reflexo percipit: acquisitam etiam illam ipsam docemus quoad ordinis progressum, quoniam omnem cognitionem a sensu & obiecto eruit.

Quomodo principia inductione cognoscantur.

In cognitione principiorum per intellectum considerantur.
- Apprehensio, quæ est a sensibus & speciebus rerum collecta cognitio.
- Iudicium, quod est quædam discretio rerum perceptarum.
- Proprium & innatum lumen, quod est naturalis quædam sagacitas dexteritasque cito percipiendi & sic sine inductione rerum singularum principia cognosci dicuntur.
- Ordo disciplinæ, qui est a rebus singulis inductione probatis ad communissima quædam progressio.

Quænam consideranda in cognitione principiorum per intellectũ

Oppon.

Negantur sæpe principia: ergo non sunt maxime nota.

Resp.

Omnis negatio ignorantiam non arguit, nisi sit directa & absoluta. Indirecte enim aliquando verissima negamus, non quod veritas ipsorum sit ignota, sed quia incerti sumus quid ex illis concessis sequeretur. Sic Zeno negabat cæli motum, quia locum & spatium extra cælum non agnouit

Oppon.

Omnis cognitio est a sensu: ergo & cognitio principiorum.

Resp.

Multi excipiunt ab illa generali propositione principia; sed concedendum est quoad ordinem disciplinæ hoc recte fieri: nam prima apprehensio rerum omnium a sensu dependet, vt antea docuimus.

An principia rei & cognitionis natura differant.

VTILIORIBVS jam quæstionibus, quæ in libris demonstrationum mouentur, discussis, leuiores quæ sequuntur, non soluta oratione, sed breui & contracta distinctione aperientur. Hæc quæstio, quæ nunc agitur, nempe an principia rei & cognitionis natura differant, duarum opinionum certamine in certior redditur: altera enim est quod differant, altera quod conspirent. Qui conspirari dicunt, hoc fundamentum suæ opinionis habent, nempe quod eadem sint principia & essendi (vt aiunt) & & cognoscendi. Qui putant differre; hoc axioma vrgent, quod entia rei & rationis natura differant. Vtramque opinionem admittit Tol. cujus verba hæc sunt. Cum enim a posterioribus procedimus ad cognitionem priorum, tunc differunt re principia cognitionis & rei: at cum a prioribus est processus, tunc eadem re sunt principia cognitionis & rei, semper tamen differunt ratione. Nam rei principia sunt secundum suum esse: cognitionis vero secundum quod per intellectum sumuntur, & ipsorum cognitio aliorum est causa cognitionis: hæc ille. Placet Veneto altera pars illa, per quam negantur omnino re esse eadem. Nam qui fieri potest (inquit) vt rei societate conspirent illa quæ sunt distincta principia in genere entis. Principia enim rei ad ens rei, principia cognitionis ad ens rationis referuntur: quippe illa essentiã rerũ hæc scientiam conclusionis spectãt.

Duæ opiniones de hac quæstione.

In fine lib. demonst.

Veneti opinio

Postremo in hoc maxime discrimen ponit, quod principia rei sint incomplexa vt materia, forma: principia vero cognitionis complexa, vt propositiones: sed complexa & incomplexa natura differunt, ergo principia rei & cognitionis natura differunt. Reconciliantur facile præclari hi duo interpretes, si dextre vtrumque interpreteris. Verum enim est quod Toletus dixerit, nempe principia rei & cognitionis re esse eadem, si a prioribus procedimus. Exempli causa: animal & rationis compos quæ sunt eadem, tam rei quam cognitionis sunt principia: nam per illa & scimus & definimus hominem. Si vero a posterioribus ad priora (inquit) fiat progressus, tunc sane natura differunt. Hoc quoque verum est, vt in exemplo patet. Si per proprias passiones, insita accidentia & axiomata (quæ sunt proculdubio cognitionis principia) demonstres hominem, hæc omnia ab illis natura distinguuntur. Nam & prædicamento & specie entis, vt ait Venetus & non negat Toletus, hæc a se inuicem separantur.

Propugnatio Toleti.

Duplex consideratio principiorum.

Principia rei & cognitionis considerari possunt vel
- Extra demonstrationem, in constitutione effectus, & sic eædem causæ quæ rem constituit, rei quoque cognitionem gignunt, vt definitio hominis.
- Intra demonstrationem, in cognitione conclusionis, & sic perpetuo non sunt eadem principia rei & cognitionis: nam propria, dignitates, & formalia accidentia sunt cognitionis principia: scientiam enim pariunt, sed essentiam non definiunt.

An Dialecticus & Demonstrator differant.

An Dialecticus & Demonstrator differat.

Differunt Dialecticus & Demonstrator præcipue in
- Materia, quia illius est probabilitas, hujus autem veritas.
- Modo probationis, quia ille omni loco, hic vero solum necessario vtitur.
- Fine, quia illius est opinio hujus scientia.

An infinitum sciri possit.

An infinitum sciri possit.

Infinitum est vel
- Metaphysicum, vt Deus, quod absolute sciri non potest.
- Physicum in potentia, vt omne continuum quod sciri nó potest & demonstrari.
- Mathematicum, vt numerus mente conceptus, quod per principia cognitionis explicatur.

An medium Demonstrationis contineatur sub extremis.

An omne medium Demonstrationis contineatur sub extremis.

Medium demonstrationis respicit extrema, aut respectu.
- Mutuæ constitutionis: nam mutuo constituuntur.
- Mutuæ prædicationis: nam de se inuicem prædicantur.
- Illatæ conclusionis: nam omnia, vi conclusionis connectuntur.

An sit negatiua Demonstratio.

In Demonstratione spectanda duo,
- Refutatio errorum, & sic potest esse negatiua.
- Scientia rerum per causas, & sic non est.

An vniuersalis Demonstratio sit particulari certior.

Consideratur Demonstratio, vel quoad
- Popularem sensum, & sic particularis est certior.
- Exercitatum intellectum, rerumque essentiam, & sic vniuersalis est melior.

An futura

An futura in Demonstrationem cadant.

Futura sunt
- Contingentia, quorum exitus sunt aut.
  - Noti, per deliberationem sapentum, quæ a posteriore sciuntur.
  - Ignoti, quę omnem Demonstrationem fugiunt: talia enim ad casum & fortunam referuntur.
- Necessaria, eadémq; vel
  - Ex hypothesi, vt si astes igni, calefces, quæ in demonstratione illustrantur, quia semper consecutionis necessitatem habent.
  - Ex natura, vt eclipsis solis & lunæ: & hæc futura aliquando in demonstrationem cadunt.

An res vniuersalis sit semper & vbique, quæ sub Demonstrationem cadit.

Vniuersale capitur aut
- Generatim pro omni ente, & sic semper est, quia non terminatur, & vbique quia nullo loco definitur.
- Speciatim, pro animali aut scientia, & sic non est semper & vbique, nisi semper pro æternitate in successione rerum singularum sumatur, & vbique pro omni re singulari in collectione rei vniuersæ.

An sint tres tantum habitus sciendi.

Habitus sciendi sunt.
- Opinio quæ est
  - Certa, vt cognitio.
  - Anceps vt imaginatio
- Scientia, sub qua continentur ars & solertia,
- Intelligentia, sub qua continentur prudentia & sapientia. Sic etsi tres enumerantur in genere, in specie tamen quinque sunt vt in 6. Ethicorum demonstratur.

An medium & causa idem sint.

Medium & causa eadem sunt vel quoad
- Constitutionem, vt materia & forma: quę essentiam rerum demonstrant.
- Cognitionem, vt efficiens & finis, quæ existentiam & cohærentiam rerum concludunt.

An definitio possit demonstrari de suo definito.

Non potest, quia
- Idem sibi non potest esse medium.
- Non potest concludi de definito.

Sunt qui existimant duas has rationes, obiectionis loco adduci: quare contrarias partes defendunt hoc modo.

Potest definitio, demonstrari de definito, quia est
- Proximum principium constitutionis per quod res definiuntur.
- Absolutum medium demóstrationis, per quod res esse concluditur.

Duplex opinio, postrema est verior.

An per diuisionem quid res sit demonstrari possit.

Non potest, propter
- Multitudinem significatorum
- Confusionem rerum & conceptuum.
- Defectionem mediorum, quæ a priore effecta demonstrarent: membra enim diuisionis posteriora sunt diuiso.

An inductio probare possit definitionem.

Inductio est,
- Materialis, quæ est in rebus singulis, & hæc per se non probat.
- Formalis, quæ est in speciebus ac formis, & hæc probat, quippe enumeratio specierum definitiones esse concludit.

An Interpretatio sit definitio.

Definitio est aut { Nominis { Ficti, quale est Chimæra. Veri, quale est omne synonymum, & sic communiter interpretatio definitio dicitur. } Rei, vt supra in primis elementis, & sic non est. }

An forma sit præstantissimum medium omnium causarum.

Præstantia medij cernitur aut in { Perfectione interna, & sic forma est omnium nobilissima. Perfectione externa, & sic finis est omnium perfectissimus. }

An experientia sint multæ memoriæ.

Memoria accipitur aut { Materialiter, pro rebus multis memoriæ infixis; & sic quodammodo est experientia, quæ numerosa memoria dicitur. Formaliter, pro potentia, & sic non est. }

Experientia est earum rerum, quæ visæ sunt sæpe eodem modo contingere, certa memoria & cognitio.

LIBER TOPICORVM. DE *INVENTIONE.*

Quid & quotuplex inuentio? quid iudicium? & an tractatio inuentionis sequeretur tractationem iudicij?

Tractio inuentionis sequitur tractationem iudicij.



IN primis jam disseminatis partibus Dialectices, sparsa sunt quædam semina, ex quibus veluti accrescentibus fœcunda seges inuentionis nascitur. Omnia enim quæ præcesserunt de primis elementis, de quinque vocibus, de decem categorijs præcepta, viam introductionis, non vim inuentionis continent. Illinc ergo flores, sed hinc fructus colligas: Illinc quasi fumum, hinc vero flammam probationis habes. *Obiectio.* Sed hic scrupulus inijcitur, quare inuentio sequeretur judiciũ, cum primum inuenire, & tum de inuentis iudicare oporteat. *Solutio. Iudicium duplex.* In hac dubitatione nemo hærere debet, si meminerit aliud judicium esse confusum, & indistinctum, quo infantes præditi omnes viros patres, omnesque fœminas matres appellant: Aliud distinctum, & elaboratum, quo sapientes pollent: Illud præcedit, hoc inuentionem sequitur. Illo enim imbuti, quasi infantes præcepta artium indistincte cernimus: hoc instructi res accurate scientis demonstramus. Illud in tractatu prædicabilium, & prædicamentorum: hoc in libris demonstrationum, & elenchorum discitur. Hac controuersia breuiter dirempta, quid judicium, quid inuentio sit, paucis dicamus. *Inuentionis descriptio prima.* Inuentio est, vt ita dicam lima rationis & argumentationis officina: nam per eam ratio perficitur, in ea argumentum fabricatur. *Secunda.* Si vere definire cupias, est nihil aliud quam locorum & argumentorum, adeoque ordinis in vtroque apta & firma cogitatio: per quam omnis quæstio probabilis subtiliter, appositeque disceptiatur. *Definitio iudicij.* Iudicium est quasi trutina inuentionis, vnde recte definiri potest, rerum inuentarum approbatio. Ad calculos enim omnia reuocat, vires ac pondera argumentorum discutit, vera pandit, falsa premit, lata sententia concludit omnia.

Duæ

Duę partes Dialectices
- Inuentio duplex
  - Rhetorica, cujus finis est motus, seu affectus.
  - Dialectica, cujus finis est locus, seu fides.
- Iudicium,
  - Inchoatum, quod est confusa rerum apprehensio, sine distincta circumstantiarum notitia: & hoc præcedit inuentionem.
  - Perfectum, & accuratum: quod est rerum inuentarum considerata approbatio, cum certa, & definita sententia; hoc sequitur.

Partes Dialectices.

An inuentio sit vtilis ad tria.

INFINITVM esset numerando percensere omnia doctorum interpretum testimonia, quibus inuentionis pondus & vtilitatem extulerunt. Nam quantum in ea insit, ad quancumque causam stabiliendam authoritatis, nemo est meo judicio, qui non (consultis Philosophorum oraculis) possit plane dicere. Si enim reliquæ omnes artes probare non possint sua ipsarum principia sine locis inuentionis: si omnes quæstiones, omnes causæ, omnes discursus rerum, riuos inuentionis, ac flumina spectent; si formam ordinem, vim, fidemque omnis disceptationis hinc petamus: si denique hujus solius opera verum tegere, falsum refutare, vnum in quauis re attingere, hostem confodere, neruos argumentorum discutere, fucos Sophistarum dispellere possimus, causa oblata est (studiose Lector) vt hanc partem præ cæteris amplectaris: in illa perdiscenda nullum laborem, nullum studium, nullamque diligentiam recuses; Audi ipsum Aristotelem de vsu Topicorum loquentem: Sunt, inquit, tria, ad quæ conducit disserendi ratio, nimirum, Exercitatio, Congressus, & Philosophia. Primum polita doctorum ingenia: alterum communia hominum colloquia: tertium Philosophorum & sapientum collegia solum spectat. Est enim exercitatio, Academica (de rebus dubijs quæ in quæstionem vocantur) disceptatio. Est autem congressus tam doctorum quam indoctorum de varijs causis conflictatio. Est denique Philosophia rerum tum humanarum tum diuinarum scientia; sub cuius nomine omnes hic artes continentur. In exercitatione vitę, in congressu modum; in Philosophia decorum suppeditat, & obseruat inuentio. Quemadmodum ergo milites firmis armati telis melius & animosius pugnant: ita certis inuentionis locis instructi, rectius & artificiosius in omni genere exercitationis vrgemus aduersarium. Nam sic vagantes in castra Mineruæ pellimus, fugientes persequimur, sine vi & ordine pugnantes facile superamus (id est) omnia distincte sine confusione; omnia acute, sine contradictione in omni conflictu bonarum literarum demonstramus.

Inuentionis vtilitas.

Inuentio conducit ad exercitationem, congressionem, & Philosophiam.
Exercitatio quid.
Congressus quid.
Philosophia quid.
Simile.

Valet inuentio ad congressum exercitationem, & ad Philosophiam propter
- Certum disserendi ordinem & methodum, qua Dialectica omnes artes excellit.
- Definitum quatuor prædicatorum numerum, ad quem omnes quæstiones, & propositiones reuocantur.
- Distinctam locorum, & axiomatum seriem, quæ est veluti gaza referta, ex qua opes ingenij cum placet, & cum velis, expromuntur.

Inuentio quare conducit ad tria.

Quid sit probabilitas? & An sit materia inuentionis?

Probabilitas quid est.

LIS magna est apud veteres, an probabilitas sit materia in qua versatur inuentio. Quæ sane facile dirimetur controuersia, si ab eiusdem definitione proficiscatur disputatio. Est ergo probabilitas verisimilis opinio, quæ aut omnibus, aut plurimis, aut saltem sapientibus, ijsque vel omnibus, vel plurimis, vel insignitur doctis probatur: omnibus, vt ignem esse calidum: plurimis, vt esse antipodes: sapientibus, vt solem esse majorem vniuersa terra, &c. Satis est Dialectico si opinionem figat earum rerum, de quibus disserit in animis auditorum. Nam quamuis hæc pars sit indagatrix veri, verum tamen & necessarium non ex proposito, & officio tractat, sed vtrumque probabiliter discutit. Verum est (vt definit Philosophus) quod ex se fidem habet. Necessarium, sine quod aliquid esse non potest, & hoc, & illud ad demonstrationem: probabile vero ad Dialecticam ratiocinationem spectat. Hinc demonstratio ex veris & necessarijs, ratiocinatio ex probabilibus constare dicitur. Demonstrationi falsa descriptio: Ratiocinationi fallax, & certandi studio comparata argumentatio opponitur. Illa falsigraphus, hæc paralogismus vulgo nominatur. Ex his jam constat, vt opinio, probabilitatem esse commune obiectum inuentionis. Nam cum hoc solum meditetur, & contendat inuentio, vt probabile in quauis re (discurrendo per loca inuentionis) eliciat: negari non potest, quin probabilitas sit materia in qua versatur. Cæterum hoc non ignoro, prædicatum Topicum inuentionis seminarium, quæstionemque probabilem materiam a Philosopho etiam assignari Sed quo sensu id fiat, & dicatur, in sequenti tabula perspicietur.

Munus & officium Dialectici opinionem gignere
Verum quid
Necessarium quid

Materia inuentionis.

Inuentionis materia duplex.

- Materia inuentionis est duplex.
  - Ex qua constat duplex.
    - Simplex, & remota vt quatuor prædicata Topica: scilicet definitio, genus, proprium, accidens.
    - Composita, & immediata, vt propositio, quæ vulgo maxima nominatur.
  - In qua versatur duplex
    - Communis vt probabilitas, sub qua verum, & necessarium continentur. Nam omne verum aut necessarium est probabile: sed non ex aduerso.
    - Propria, vt quæstio, ad fidem faciendam, non ad motum animi destinata: Nam hæc quæ motum respicit, est propria materia Rhetorices.

Quid Quæstio? Quid Propositio? An natura differant?

DICTVM est modo quæstionem probabilem, materiam propriam esse in qua versetur inuentio. Sequitur ergo nunc vt quid sit dicamus. Sed hic mirum est videre, quo modo fugaces vmbras persequantur quidam interpretes, qui quæstionem in tot parteis otiose distinguunt, vt alia Realis, alia Nominalis, alia Rhetorica, alia Dialectica, alia Disputabilis, alia Neutra dicatur. Fabulas profecto agunt, qui inuentis frugibus glandes arrodere tam vehementer cupiunt. In studio sapientiæ declinanda sunt duo vitia (vt ait Orator) Negligentia, & Curiositas. Istorum in multis diligentiam probo: sed nimium studium in rebus minime necessarijs non laudo. Certum est Philosophum Dialecticam quæstionem

Scotus Andreas Venetus.
Proverbium.
Duo vitia in studio sapientiæ declinanda Lib. 1. Offi.

in

in Libro 1. Topicorum ac nono Capite definijsse, eademque ad omnem artem quodammodo retulisse. Verba hæc sunt. Quæstio Dialectica (inquit) est quæstio, aut ad expetendum, & fugiendum: aut ad veritatem, cognitionemq; pertinens: idque vel per se, vel quia adiumentum affert ad aliud aliquid, quod horum altero genere continetur, id est, si interpreteris: Quæstio est dubia & anceps interrogatio, cum nota contradictionis prolata. sub qua res omnes omnium artium ac scientiarium probabiliter & continentur & discutiuntur. Nam per expetendum, & fugiendum omnia Ethica: per veritatem & cognitionem Physica, Mathematica: cæteraque aliarum artium problemata intelligit. Porro illa particula, per se, de quæstionibus in proprio circuitu Dialecticæ comprehensis intelligitur.


Quæstionis definitio secundum Aristotelem.

Eiusdem definitionis explicatio.

Quales sunt, An summum Genus possit definiri? An sit Prædicatum Topicum?

HVC proposita, Paradoxa, & admirabiles scientiæ sapientum reducuntur. Nam omnia proposita quæstiones sunt: sed omnes quæstiones proposita non dicuntur. Propositum est insignis sententia contra opinionem omnium, aut alicuius eorum, quorum in Philosophia illustris est & peruagata fama. exempli causa: non posse contradici, vt placet Antistheni. moueri omnia, vt placet Heraclyto: vnum esse omnia, vt placet Melisso. De his autē in neutram partem disputari potest: aut si disputetur, difficilis admodū est futura rerum, quæ in his tractantur, conclusio: rara que hominum, qui dissentiunt in opinione conspiratio. Restat vt quid sit propositio definiamus: est vt ait Boetius, vniuersalis attributi de vniuersali subiecto enuntiatio: cuius proprium est verum aut falsum sine ambiguitate probabiliter ostendere. Vno verbo a Trapezuntio definitur, Maxima cuiusque loci id est, generalis enuntiatio, quæ non sine iudicio ex omni loco inuentionis ad disserendū sumitur. Sic accepta, non natura, sed modo: non vi sua, sed fortuito: non constitutione, sed probatione differt a quæstione. Nam quæstio notam contradictionis habet, propositio vero non habet: vt an ciuitas sit, necne: est quæstio. At si dicas ciuitatem esse, est propositio. Res eadem subiecta est vtrique; idem tamē modus non est vtriusque.

Omnia proposita quæstiones, sed non e contra.
Propositum quid est.
Propositio secundum Boetium in li. Topicorum.
Propositio secundum Trapezuntiū in Epitome Dialectices.
Differentia inter propositionem & quæstionem



Quid Prædicatum? Quid Annexum? An sint quatuor numero Prædicata?

Prædicatum & Annexũ remotam inuentionis materiam constituunt.

VT Propositio & Quæstio proximam, ita prædicatum & annexum remotam inuentionis materiam constituunt. Quare illis iam definitis hæc definienda sequitur. Est ergo prædicatum, vox vniuersa, finita, vniuoca, rebus actu, non potentia accommodata, quæ ad nihil se prius reduci potest in eodem genere, vt definitio. Annexum est minus primarium prædicatum Topicum, quod eisdem locis prædicati (ad quod reducitur) tractari debet, vt quæstio de eodem & diuerso.

Prædicati definitio. Definitio Annexi. Diuisio Prædicati.

Diuiditur Prædicatum in quatuor seminaria inuentionis: nempe in
- Genus.
- Definitionem.
- Proprium.
- Accidens.

Prædicatorũ probatio. 1. Inductione 2. Ratiocinatione.

Quorum numerus probatur a philosopho Inductione, & Ratiocinatione. Inductione, quia omnis quæstio, omnisque propositio, idque in omni arte, significant vnum istorum. Ratiocinatione, quia omni prædicatum, aut reciprocatur, aut non reciprocatur. Si reciprocatur, id fit, aut absolute, vt definitio; aut comparate, vt Propria passio. Si non reciprocetur, aut est pars definitionis, vt Genus: aut non est pars, vt accidens. Horum definitiones, satis satisque in tractatu vniuersalium explicatas tacitus prætermitto, Si cupias quæ sunt annexa, & quomodo reducantur, intelligere, distinctionem sequentem intuere.

Annexa sunt:
- Generis: vt quæstiones de eodem & diuerso genere, vt an corpus & spiritus sint in eodem genere; huc spectat differentia generica.
- Definitionis; vt problemata de eodem & diuerso simpliciter, vt an Liberalitas & magnificentia natura sint eadem; huc etiam spectat differentia specifica, discriptio, notatio, & interpretatio: de quibus supra.
- Proprij: vt tres illæ significationes priores traditæ a Porphyrio.
- Accidentis: vt comparationes omnes rerum similium & dissimilium.

Quot modis errari potest in disputando? Quot sunt instrumenta locupletandi Inuentionem, ne erretur.

Inuentionis munus. Errores in disputando.

COMES veritatis error est, inuidia virtutis. Ne ergo erroris facie allecti, desiliamus a veritatis, & virtutis culmine: tenendum est illius centrum, & huius medium est amplectendum. Inuentio datur vt verum disquiras: cauendum est ergo, ne in errorem incidas. Hinc est, vt opinor, quod Aristoteles in secundo Topicorum vitia, & errata in disputando recenseat, & perstringat. Quorum alterum est discussus ab vsitatis verbis: Alterum est apertum, vel insidiosum mendacium. In illo est obscuritas sine fructu: In hoc singularis vanitas non sine fraude. Loquendum est igitur cum multis, si primum: non est de Authoribus, de locis, de rebus mentiendum, si secundum fugere vis in disserendo peccatum. Sis ergo simplex, & apertus in verbis: sis verus non mendax in rebus, sis tamen subtilis in vtrisque. Vt vero facilius hæc præstes, quatuor a Philosopho excogitantur locupletandæ & dirigendæ Inuentionis instrumenta: nempe Electio Propositionum: Distinctio multiplicium: Indagatio differentiarum:

Quatuor inuentionis instrumenta.

ferentiarum: Comparatio rerum cognatarum & similium. Electio, vt quam maxime vniuersales propositiones in legendis Authoribus obseruemus: easdemque ad propositum confirmandum, vt axiomata, accommodemus. Distinctio, vt limata vocum distributione facta, rem ipsam de qua agitur, non vmbram persequamur. Indagatio discriminum, vt verarum differentiarum copia abundantes, confusionem rerum euitemus. Comparatio denique similium, vt paria cum paribus conferentes, verum directius confirmemus.

Electio.

Distinctio.

Differentiarum Indagatio.

DISTINCTIO ERRORVM in disputando.

Duo sunt vitia quæ inuentionem obscurant & impediunt.
- Decessus ab vsitatis verbis, qui contingit, vel ex nimia
  - Curiositate
    - Exornationis, si nimis figurati simus.
    - Pronuntiationis si nimis effœminati simus.
  - Obscuritate
    - Dictionis si translatis.
    - Orationis si abstrusis vtamur.
  - Barbaritate si horridis & incultis verbis perturbetur oratio.
- Mendatium duplex.
  - Insidiosum, vt sophisticum.
  - Manifestum quod contingit.
    - Mutando sensum.
    - Addendo / Tollendo vocem necessariam.

DISTINCTIO INSTRVMENTORVM.

Instrumænta Inuentionis duplicia:
- Formalia quæ modum & formam disserendi habent, quæ sunt aut in
  - Veris, vt demonstratio, cui opponitur falsigraphus, siue falsa descriptio.
  - Probabilibus
    - Syllogismus.
    - Enthymema.
    - Inductio.
    - Exemplum, quib. opponitur Sophistica ratiocinatio.
- Materialia sic dicta, quia materiã & copiam inuentionis continent, & hæc sunt
  - Electio, quæ est maximarum (vt aiunt) siue axiomatum obseruatio, & approbatio.
  - Distinctio multiplicium, quæ est limata vocum in significationes distributio.
  - Indagatio discriminum, quæ est aut verarum, aut propriarum differentiarum diligens inquisitio.
  - Comparatio similium, quæ est rerum cognatarum apta relatio.

Oppon:

Multa sunt vitia quæ cadunt in disputationem, vt omnes fallaciæ Sophisticæ, teste Philosopho lib. 8. Topic. ergo sunt plura quam hæc duo.

Resp.

Multæ sunt specie, sed genere hæc duo tantum, ad quæ omnia reliqua ducantur: omnes enim Sophistarum insidiæ ad mendatium analogice reuocantur.

Oppon.

Loca sunt instrumenta inuentionis, ergo sunt plura quam hæc quatuor.

Resp.

Loca sunt potius principia inuentionis, quam instrumenta: vel dicendum est, quod hæc loca contineantur sub Electione axiomatum, quæ axiomata sunt de natura loci. Errant enim (mea sane opinione) qui dicunt maximam, propositionem siue axioma, ex essentia loci non esse: cum locus sine maxima sit quasi corpus sine anima.

Axioma est ex essentia loci.

An liceat in explicatione locorum dissentire ab Aristotele? An Aristoteles simplicem inhærentiam insinuet.

Dubitatio prima.

Philosophi non est in omnia Aristotelis verba iurare.

ETsi Aristoteles summus artifex, adeoque oraculum Philosophiæ extiterit, hominem tamen fuisse constat, hoc est illum, qui errare, labi & decipi potest: non enim ei soli omne ingenium natura, non omnem artem Minerua dedit: quippe vno partu omnia sua munera non effudit; ne effœta, sterilisque suæ posteritati videretur. Quare etsi diserte & erudite omnia scripserit Philosophus, nimis tamen confuse, nimis abstruse de locis scripsit: Ideoq; nemo ita admirari debet Aristotelem, quin liberum ei sit, ab Aristotele, cum placet & cum velit, desilire, maxime vero cum maiorum consensu errasse iudicetur, vt cum dicatur esse principium venarum: Iterum cum affirmet cor esse principium externorum sensuum: adhuc cum asserat æternitatem mundi, &c. Cæterum vt propius ad institutum nostrum accedamus, mirum mihi sæpe visum est, cur Rodolphus dicat illum simplicem inhærentiam penitus ignorasse: cum in 2. lib. Top. c. & 1. c. dicat genus conuerti cum sua specie, quod fieri non potest quoad suum esse, sed quoad Simpliciter inesse (vt aiunt) Exempli causa, si animal insit homini, homo est animal, & si homo sit animal, idem animal inesse homini iterum necesse est. Præterea in 2. lib. Propositum Aristoteli fuit, solum de accidente agere, sic tamen agit, vt Definitionem, Genus, partes passim inesse dicat: vbi non rem sed modum (qui est Simplex inhærentia) proculdubio intelligit. Quamobrem vt per omnia, in confusa, & indigesta mole locorum Aristotelis, vestigijs non insisto: Ita tamē de libris inuentionis existimo, vt olim quidam de Apellis arte in venere pingenda iudicauit: qui rogatus quo modo probaret artem, sic (inquit) vt nihil supra, si membra, quæ iam sunt in distinctis tabulis, in vnam tabulam transtulisset: Simpliciter hoc vnum desidero apud Aristotelem vt mēbra suæ Inuentionis, quæ sunt in octo libris sparsa & confusa, ad vnam quasi tabulam reuocasset: & vt ille ex multis partibus vnam Venerem, ita hic ex multis mēbris vnam Mineruam depinxisset.

Lib. 1. Dubitatio secunda.

Aristoteles simplicem agnoscit inhærentiam.

Confuse non distincte de locis agit Aristot.

Authoritas duplex est:
- Diuina in cuius sensum non vocem iurare oportet.
- Humana:
  - Historica, in rerum gestarum narratione: ex qua opinio.
  - Philosophica, in rerum occultarum demonstratione ex qua scientia oritur: ita tamē vt in verba Authoris a vero dissentientis ne iuremus.

Oppon.

Vnum principem constituerunt maiores nostri in omni scientia, vt Hippocratē in Medicina, Aristotelem in Philosophia, Euclydem in Geometria: ergo ex maiorū consensu licet iurare in eorum verba. Præterea in multis Academiis depositum est iuramentum; vt in Philosophia solus defendatur Arist. Postremo docuit Philosophus satis esse dicere, ipse dixit, Insinuans argumentum ab authoritate recte valere.

Socrates.

Resp.

Resp.

Princeps in scientia aliquis dicitur, non quia non errat, sed quia aliis in eadem scientia longissime praeluxerit. Iurati ergo sunt in multis Academijs, ut Aristotelem prae ceteris defendant in veris quae saepe oppugnantur: non in falsis, quae ut errata refutantur. Neque satis est dicere in fucatis, ipse dixit, sed rectius dicitur in Demonstratis, ipse sciuit.

Non satis est dicere, ipse dixit.

DISTINCTIO SECVNDAE Dubitationis.

Simplex inhaerentia capitur aut pro {
- Applicatione simplicis accidentis ad simplex subiectum, ut caloris ad ignem.
- Cohaerentia, & modo conueniendi tam substantiae, quam accidentis, ad subiectum: & sic accepta hoc loco definitur.

Simplex inhaerentia est modus cohaerendi omnium praedicatorum in rebus ad sua realia subiecta. Hinc an homo sit animal, est quaestio simplicis inhaerentiae. Quia etsi homo sit substantia, & animal substantia, modus tamen hic cohaerendi animalis cum homine, non in substantia quaeritur; hic enim modus in omni attributo est accidens.

Definitio simplicis inhaerentiae.

Oppon.

Modus rei non est res ipsa sed simplex inhaerentia est modus rei, ut definitur, ergo non est res ipsa, & ex consequenti non est accidens quod semper in aliqua Categoriarum reponitur.

Resp.

Modus rei est accidens communiter acceptum, ut opponitur substantiae: non stricte ut reponitur in praedicamento.

An proprium sit inuentionis per orationem docere?
An liceat docendo fallere?

SVbscribimus Rodolpho in prima quaestione discutienda, qui praeclare docuit proprium munus esse Inuentionis per orationem docere. Nam etsi signa aliquando doceant: nihil tamen in tabulam mentis humanae rerum imagines insculpit aptius, quam voce formata editaque oratio. Quamuis ergo prima scientia duas fenestras habeat, per quas intrat in animum, nempe oculum, & aurem: firmius tamen per aurem in viua voce, quam per oculum in pulchra specie imprimitur scientia. Quippe caeci, ab incunabulis saepe docti, surdi vero nunquam eruditi fuerunt.

Dubitatio prima Proprium inuentionis munus per orationem docere.

Auris plus conducit ad scientiam capessendam quam oculus.

De altera causa, an liceat differenti docendo fallere? Sic suadeo, quod liceat, modo non intendat fallaciam; id est, modo non sic fallat, ut omnino fallatur alius, sed potius ut instructus, veritatis arcem defendat melius.

Dubitatio secunda Docere artificiam sumitur

Aliquid docet tribus modis: vel {
- Effectiue, ut homo, est enim causa docens.
- Obiectiue, ut signum; est enim obiectum, aliquid sensibus repraesentans.
- Formaliter, ut oratio quae est vel {
  - Perfecta, ut completa propositio, & haec proprie docet.
  - Imperfecta, ut optatio, interrogatio, & haec confuse docet.

DISTINCTIO 2. DVBITATIONIS.

Fallimus duobus modis {
- Pertentandi causa ut magis elucescat veritas, & sic licet Dialectico fallere.
- Insidiandi gratia, ut occultetur veritas, & sic non licet.

Fallere duplicter.

Lib. Rhetor.

Oppon.

Est docentis proprium officium, formare intellectum rerum praeceptis. Teste Arist. in Rhetor ergo non orationis solum.

Resp.

Hoc docendi officium consideratur dupliciter	{ *Effectiue, & sic est docentis.*
	{ *Formaliter, sic est rationis, seu inuentionis.*

Oppon:

Lib. 2. de reprehensione.

Nemo peritus cognitam veritatem oppugnat nisi fallaciter, secundo de reprehensione Sophist. sed nemo peritus fallaciter veritatem oppugnat nisi intendat fallaciam: ergo si liceat oppugnare veritatem, & quoque fallere licet, vt intendat fallaciam.

Resp.

Aliud est fallaciter agere, aliud subtiliter oppugnare: Licet Dialectico veritatis arcem inuadere subtiliter: Sophistae vero licet fallaciter: & sic Philosophus est eo loco intelligendus.

Argumentum Anabaptistarum

Oppon.

Non licet omnino veritatem cognitam oppugnare: ergo omnino neque subtiliter neque fallaciter licet disputare. Antecedens probatur, quia agnitam veritatem oppugnare est radios eiusdem retundere, & dubitantes in ancipitem cogitandi regionē distrahere, & quasi telas in oculis aliquando sapientum intexere.

Causa cur sapienter instituta est disputatio.

Resp.

Respondendum est, haec omnia fucata esse, nam non oppugnamus veritatem vt obscuretur, sed vt attritu, & lima doctissimorum ingeniorum magis corroboretur: sicut enim ferrum si teratur, magis splendescit: ita veritas, si argumentis discutiatur. Quippe faecunda multorum inuentio multa incognita veritatis subsidia parit, multa obliuioni tradita in memoriam reuocat.

An plena notitia omnium locorum disserenti sit necessaria? An liceat disserenti digressionem facere?

Loca { Necessaria / Vtilia / Otiosa

MVlta sunt loca inuentionis in Topicis Arist. necessaria, multa vtilia, multa respectu huius aetatis otiosa. Illa solum necessaria appello, quae simpliciter, & omnino tenent. Illa vtilia, quae maxima ex parte causam attingunt. Illa denique otiosa, quae vel saepius inculcantur, vel permultas instātias admittunt, & patiuntur. Duo priora genera, tam Rhetorum, quam Dialecticorum arma sunt: quare vt scutum & telum in cuiusque dexteram sunt assumenda: Quorum non satis est memoriter tenere numerum, vt solent pueri: sed vim, naturam, ordinem, & vsum diligenter obseruare, vt debent Philosophi. Sic crebris, densisque (vt aiunt) ictibus pulsabis, & fundes aduersarium; sic magnis & indefessis viribus asylum veritatis propugnabis. Quid ergo? An contemnenda loca apud Aristotelem putas? nequaquam: sed hoc volo, vt solum necessarijs, & fructuosis in solem & puluerem armatus prodeas. Suntne igitur apud Philosophum otiosa? non simpliciter, sed esse respectu affirmo. Quo tandem respectu? Aetatis nostrae. Quid ita? Quia hoc tempore multis commentarijs, multis introductionibus instructi salutamus Aristotelem: ita vt multa quae tradidit tum necessaria, nunc superuacanea nobis videantur. Exempli causa: Genus non esse, si non praedicetur in quid: iterum genus non esse, si non habeat species: adhuc genus non esse, si de illo dicatur species, &c. Millia sunt istiusmodi loca in singulis libris Topicorum, quae dum ne Interpretum cognita, aut nauseam prouocarent, aut taedium parerent. Ne ergo confusione locorum erremus, ordinem; ne multitudine oppressi diuagemur, certum numerum demonstrabimus.

Necessaria loca quae. Vtilia loca quae. Otiosa loca quae. Vis, natura, ordo vsus locorum sunt discenda. Loca quaedam apud Arist. respectu aetatis nostrae otiosa. Exempla otiosorum locorum.

strabimus. Nam sic de re & non de lana caprina, vt aiunt, disputabitur: sic nulla, aut saltem non insulsa fiet digressio. Nam quamuis digredi aliquando liceat, diuagari tamen non licebit.

Dubitatio secunda.

DISTINCTIO PRIMAE Quæstionis.

Locorum duplex notitia.

Notitia locorum duplex,
- Confusa, quæ rudiori Minerua omnia loca proponit.
- Distincta, in qua obseruantur
  - Perfectus ordo, qui memoriam adiuuat.
  - Certa locorum diuisio, quæ confusionem tollit.
  - Frequens axiomatum repetitio, quæ paratos nos reddit.
  - Crebra & multiplex exercitatio, quæ aciem inuentionis absoluit.

DISTINCTIO SECVNDAE Dubitationis.

Triplex digressio.

Digressio triplex.
- Vtilis, cum ad res cognatas suppetiarum loco positas ita diuertimus, vt cum velimus ad institutum reuertamur.
- Necessaria, cum vel importunitate eius cum quo agimus, vel leuitate, aut obscuritate rei de qua disputamus coacti, ab instituto desilimus.
- Otiosa, cum neque res, neque persona vrget, vt digrediamur omnino.

Oppon.

Aristoteles omnium consensu breuitati studuit, ergo nihil otiose, ergo nihil superuacanee de locis inuentionis scripsit.

Resp.

Respondens sine Porphyrij & aliorum interpretum institutionibus hæc omnia breuiter, concise & necessario scripta fuisse, eorum tamen opera, & industria multa facta sunt tam familiaria, vt illorum frequens repetitio molesta videatur. Exempli causa: Quid genus quid species, quid desinitio sit in primis elementis dedicimus, hæc iterum in 1. Topicorum desiniuntur.

Oppon.

Omnia argumenta disputantium de thesi aliqua, Sorite ad primum argumentum reuocari debent: Teste Philosopho in octauo Topicorum, & secundo Elenchorum. Sed si licita sit digressio talis fieri non potest reductio, ergo nulla digressio est laudabilis.

Resp.

Genus disceptationis duplex,
- *Accuratum, in veris & necessariis, quod semper filum habet reductionis per soritem, & hoc intelligitur in locis Aristotelis.*
- *Temperatum, id est, partim in veris & necessarijs, partim in probabilibus, & hoc digressionem vtilem & necessariã admittit.*

Quis actor, quis auditor rerum inuentarum, & quodnam officium vtriusque.

Actor tripartitus.
Opponentis officium.
Respondentis officium.
Officium Moderatoris.
Auditor.

VT semper omnia ordine & decenter in celebri Philosophorum gymnasio fieri debent; ita tum vel maxime, cum ab intentis viris de rebus magnis disceptatur: Aliter enim potius verbose diem protrahere quam neruose disputare videbimur. Perstringam ergo paucis, quis Actor, quis Auditor rerum inuentarum, & quid officium vtriusque esse debeat. Actorem in hoc cōgressu tripartitum constituo. Opponentem, Respondentem, & moderatorē. Opponentis est non temere in aciem prorumpere, sed telis paratis ad certamen accedere. Decet illum vrgere argumentis, aduersarium nunquam contumelijs vrere. Intonet, modo se cōtineat in causa, sed extra causam nihil dicat. Si desit materia, si desint argumenta taceat: Melius est enim tacendo bene, quam stulte dicendo tempus conterere. Ex diametro (vt aiunt) Respondens in causa opponitur: huius est ad vnguem statum quæstionis tenere, in promptu aduersarij vires, & argumenta retundere, communes, & receptas maiorum sententias defendere, nihil agere pertinaciter, quod est contumacis: nihil opiniose, quod est errantis, & impudentis. Moderator lances Mineruæ tenet, cuius est grauiori iudicio rationes vltro citroque allatas ponderare, frigidas incursiones leuiter attingere, validas iustis laudibus extollere, per tinaciam in falsa opinione, vt Hydram multorum capitum rescindere; de omnibus denique suam sententiam grauiter, apposite, & erudite dicere. Auditor, si recte fiant omnia, diligens: sin minus accurate, patiens esse debet: Diligentia enim scientiam Auditoris, patientia amicitiam dissentientis dabit.

DISTINCTIO SEV SVMma Quæstionis.

In certamine Dialectico tres sunt Actores {
Opponens, qui apposita argumenta, & loca excogitare,
Respondens, qui apta responsa concinnare,
Moderator, qui modos refutare, omniaque obscura l ca relerare debet.

Oppon.

Moderatoris tantum officium est aut negando, aut distinguendo, aut interpretando argumenta dissoluere, hoc agit respondens ergo non opus est moderatore.

Resp.

Necessitas moderatoris

Etsi hoc agat respondens aliquando erudite, Moderatore tamen opus est, & propter maiorem dignitatem scientiæ, & propter ampliorem authoritatem personæ. Dignitas enim artis magnam reuerentiam: authoritas personæ magnum honorem parit: Non ergo solum, in Moderatoris officio negationem, distinctionem, aut interpretationem spectare oportet, sed etiam authoritatis & eruditionis magnitudinem, quæ excellens, & loco, & arti, lucem & splendorem affert.

Quid locus, & quotuplex eius conditio.

Locus. Loci definitio secundum Cic. Secundum Boetium in lib. Topic Secundū Rodolphū lib 1

COntus inuentionis locus est, vt enim contis altitudinem Oceani, ita locis profunditatem argumenti examinamus. Orator locum definit sedem argumentorum: Boetius thesaurum appellat, ex quo opes ingenij, id est argumenta ad causam confirmandam eruuntur. Optime Rodolphus locum descripsit notam seu signum, cuius admonitu quid in quaque re sit probabile, quid minus verisimile perspiciamus: omnia scripta, omnia monumenta maiorum his signis notata, his notis referta & locupletata sunt. Suadeo igitur iuuentuti, vt in oceanum inuentionis sese immergat, vt loca singula ad vnguem perfectissime teneat, vt vsum locorum

locorum in legendo, in audiendo, in philosophando perscrutetur. Nam vt est corpus hominis sine neruis, ita est campus inuentionis sine locis. Hæc omnia dextre fient, si quatuor in loco consideremus: Denominationem, vnde nomen emergat, vt a definitione, & a proprio: Maximam propositionem, quæ axioma dicitur, in qua vis & neruus loci inest: Rationem, quæ est axiomatis explicatio: Exemplum, quod rem quasi ante oculos ponit. Proponam exempli causa argumentum a loco definitionis; hinc tradatur Maxima, nempe: De quocunque dicitur aut negatur definitum, de eodem dicitur aut negatur definitio. Postea ratio accommodetur ista, nimirum quia definitio, & definitum sunt eiusdem ambitus & naturæ. Postremo adhibeatur exemplum, vt quia homo de Socrate dicitur, & de lapide negatur, sequitur quod animal rationis compos de Socrate affirmetur, & de lapide quoque negetur. Hæc si spectemus in omni argumento petendo, & fœcundior erit partus inuentionis, & amplior fructus disputationis nostræ.

Inuentio sine locis corpus sine neruis.

Quatuor spectanda ad perfectam loci cognitionem.

Locus definitur bifariam:
- Metaphorice, vt sit argumentorum sedes atque thesaurus.
- Vere, vt sit præcipua pars inuentionis, a qua petitur argumentum, sic in eo consideratur:
  - Denominatio, qua locus cognoscitur.
  - Maxima, qua probatur.
  - Differentia maximæ, qua locus a loco distinguitur.
  - Ratio & exemplum, quibus tota causa illustratur.

Oppon.

Multa sunt argumenta quæ a locis non petuntur teste Boetio, vt omnia Sophistica, ergo male definitur locus.

Lib. de reprehen. Sophist.

Resp.

Agitur hic de veris argumentis, quæ omnia ad certum aliquem locum referri possunt: vel dicendum, quod Sophistica argumenta ex fallacibus locis petita, veris optime refutentur.

An recte diuidatur locus.

Ne mentitæ species, & imagines locorum nos aliquando fallant, danda nunc opera est, vt diuisione facta omnes partes Loci præ oculis nostris ponantur. Sed quoniam ancipites admodum interpretes de hac Loci distributione video, in illam propendebo sententiam, quam proxime accedere ad Philosophi opinionem existimabo. Orator diuisit totam inuentionem in locum sine arte, vt est testimonium, & in locum artificiosum, quem vel infixum, vel assumptum nominauit. Placet Boetio (Rhetoricam Dialecticam connectenti) Loca alia personarum, alia rerum constituere. Hic sistam vestigium, & figam anchoram, modo memineris (bone lector) me loca tam Oratoria, quam Dialectica simul in hac parte tractaturum. Sed attende, quod loca rerum sint, vel insita, quæ naturam causarum referant, vel foris assumpta, quæ vtcumque inuentionem adiuuant, vel denique media, quæ æquis quasi librata lancibus inter vtrumque eminent. Antiqui hæc loca interna, externa, & mediastina appellarunt. Sunt & aliæ horum omnium subdiuisiones, quarum vsus in sequentibus tabulis manifeste patebit.

Varia interpretum opinio de distributione Locorum.

Diuisio Loci secundum Ciceronem in lib. Partitionum.

Diuisio Loci secundum Boetium.

Loca insita, assumpta, media.

- Locorũ alia sunt,
  - Personarũ, quæ sunt vel in laudẽ vel in reprehensionem: exẽpli causa, a
    - Genere: vt Plato originem duxit a præclaris & honestis parentibus.
    - Natione: vt Athenis natus, educatus & edoctus fuit.
    - Ætate: vt insantia prõptus, adolescẽtia disertus extitit.
    - Educatione: vt sub Socrate virtutum & bonarum artium disciplinam didicit.
    - Sexu: vt vir insigni grauitate & cõstãtia alios superauit.
    - Habitu corporis: vt vultu amabilis alterque Narcissus erat.
    - Fortuna: vt probe diues & fortunatus euasit.
    - Animi dotibus: vt in philosophia diuina omnibus præluxit.
    - Victu: vt insigni temperantia excelluit.
    - Rerum gestarum memoria: vt sapientiæ causa difficillima confecit itinera.
    - Morte: vt senex, sapiens, pius, naturæ cessit.
    - Euentis post mortem: vt patria mortem tanti viri diutissime luxit.
  - Rerum quæ sunt tria, nimirum
    - 1. Insita & sunt
      - Definitio, vt homo est, ergo animal rationis compos.
      - Descriptio: vt homo est, ergo animal risibile,
      - Notatio: v honestũ est, ergo id quod decet.
      - Interpretatio: vt ignis est, ergo calor.
      - Coniugata: vt iustus est, ergo iustitiã habet.
      - Genus: vt virtus non est, ergo nec prudentia.
      - Species: vt Saphyrus est, ergo gemma.
      - Differentia: vt rationis cõpos est, ergo homo.
      - Proprium: vt rugit, ergo leo.
      - Totũ: domus est, ergo fundamentũ & tectum.
      - Partes; corpus & anima sunt, ergo homo,
      - Causa
        - Materia: vt farina est, ergo panis esse potest.
        - Forma: vt sensibile est, ergo animal.
        - Efficiens: vt venenum dedit, ergo occidere voluit.
        - Finis: vt fęlicitas est bona, ergo virtus bona.
      - Euenta: ex aduerso nomine tractantur.
    - 2. Media.
      - Subiecta: vt sol est: ergo splendor.
      - Adiacentia: vt homo est prudens, ergo homo
      - Actus: vt homo viuit, sol lucet, homo ergo & sol existunt.
    - 3. Externa quæ sunt
      - Adiuncta, vel
        - Antecedentia: vt rubet cælum, ergo est ventus.
        - Coniuncta: vt timet, ergo pallet.
        - Consequentia: conscius est sceleris, ergo fugit.
      - Testimonia
        - Humana: dixit Pythagoras, ergo probabile.
        - Diuina: vt dixit Christus, ergo est verissimum.

Similia: vt sol est oculus mundi, ergo mens est lumen animi.
Dissimilia, vt stultus in diem viuit, ergo sapiens æternitati studet.

Contraria quadruplicia { Aduersa: vt iustus est, ergo non iniquus. Priuantia: cæcus est, ergo nec videt, nec videre potest. Relata: vt pater est, ergo filium habet. Contradicentia: vt non est, ergo non est homo.

Comparatio. { Maioris: vt vicit Hydram, ergo potest superare hominem. Minoris: vt dilexit peregrinum, ergo multo magis patrem. Paris; vt Scipio hoc voluit, ergo idem optauit Lælius.

Etsi agnosco hæc loca personarum inter causarum genera apud Rhetores tractari, eademque potius influentiam oratoris, quam vim & robur Inuentionis spectare, quoniam tamen loca sunt quę ad causam muniendam sæpe assumuntur, artis neruos addere decreui, vt ab illis differentes non tam dignitatem orationis, quam rationis firmitatem ponderent. Miror sane, quod adhuc nemo in formam artis coegerit, sunt tamen quidam & graues & docti viri, quos sequor in hac re: nihil enim mihi assumo, nihil vendico, quippe nihil præ alijs scio. Sed vt rem aggrediar, personarum loca non solum ea appello, quæ aut in laudem, aut in vituperium hominis directe destinantur, sed etiam quæ facta, quæ affectus, quæ denique res ipsas in causa probanda retexunt. Vnde locus a personis definiri potest sedes, a qua petuntur argumenta, quibus causam de personis agitatam directe, vel indirecte communimus. Directe, si vt lineæ ad centrum, rationes ad personam referantur. Indirecte, cum a factis, ab effectibus, & ab alijs adjunctis deducta sint, ita tamen, vt ad personam redeant, & reuocentur. Non est, quod quis existimet me nimis curiosum esse in re aliena, cum viderit a me loca personarum, quæ ad oratorem spectant, patefieri: Hoc vnum ei satisfaciat, me nō affluentiam perorandi, sed artificium disputandi in illis quærere, & demonstrare. Hoc autem illi patebit si non grauetur, quæ sequuntur legere.

De Personarum locis. Subscribit Author doctioribus.

Locus a personis quomodo definitur.

Anticipatio obiectionis.

Locus a genere.

PRIMVS locus personæ ducitur a genere, cujus talis formari potest maxima, ex 2. Topicorum. Si ortus alicujus rei sit bonus, vel malus res ipsa erit bona, vel mala: qui locus simpliciter, & semper in bono naturæ, sæpe etiam in bono morali tenet. Exemplum est in bono naturæ, vt, ortus Socratis est bonus, ergo Socrates est bonus, id est, in perfectione naturę est bonus effectus.

Primus Locus personarum a genere.
Bonum naturæ & bonum moris.

Locus a Natione.

VIS patriæ magna est in consideranda natura: hinc principium conseruandi, solumque gratissimum definitur: Nam vt a patre gignimur, ita a patria conseruamur. Alter ergo locus a patria, seu natione traditur, cujus Maxima est: quod homo plerunque communes mores Patriæ imitetur Exempli causa. Cretensis est, ergo mendax: Pœnus, ergo perfidus. Sed animaduertendum est, quod non solum probabiliter in moribus animi, sed etiam necessario in qualitatibus corporis aliquando hic locus teneat, vt, est Æthiops, ergo niger.

4. *A Natione*
A patre gignimur. A patria cōseruamur.

Locus ab Ætate.

TEmpus locum sequitur, ætas natiuum solum; vt ergo a loco, ita a tempore & ætate elicienda est inuentio, idque hoc modo: Si quod vni ætati conueniat, alteri adscribatur, male, sin minus, bene tractatur locus: vt amauit dum Etas tulit: delirauit, fuit enim senex.

3. *Ab Ætate.*

Locus ab Educatione.

PLVS valet educatio, quam doctrina, hæc enim sine illa est armata iniustitia:

Recte Poeta:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem,
Testa diu.

4. *Ab Educatione. Horat l. epist. 2.*

Recte Socrates vitæ humanæ, primam, secundam, tertiam partem Educationem nominauit. Inter loca igitur personæ maxime hic locus Educationis valet, cuius axioma in prouerbium iam inueterauit, nempe, quod omnis Educatio sit altera natura: hinc recte disputatur. Male educatus est, ergo male viuit.

Locus a Sexu.

5. *A Sexu.*

LOCVS a Sexu est vel respectu naturæ, qui est firmus, vel respectu morum, qui est tantum probabilis. Huius axioma est, quod mas secundum ordinem naturæ perfectior sit fœmina, & proinde viribus fortior moribus sæpe constatior haberi debet, vt vir promisit, est ergo quod credas, Mulier dixit: non credas ergo, ne mortuæ quidem.

Locus ab Habitu corporis

6. *Ab habitu corporis. Porphyr. Cap. de Specie.*

MENS sæpe ex habitu corporis dignoscitur: vnde emergit Maxima istius loci, nempe quod mores animi sequantur temperaturam corporis: est enim frons index mentis, & qualis est temperies in corpore, talis est plerumque affectus in animo: vt, Rufus est, ergo fraudulentus: Hirsutus, ergo luxuriosus: huc quoq; illud: Species est digna, quæ imperet.

Locus a Fortuna.

7. *A Fortuna*

INcerta & anceps est rerum causa Fortuna: quare ab ea vt a reliquis Personarum locis, tantum verisimilia petuntur, & deriuantur argumenta, vt effossa terra inuenit aurum, ergo ei fortuna fauet.

Locus ab animi indole.

8. *Ab animi indole.*

AB animi indole locus alter proficiscitur: cuius Maxima est. Qualis mens talis homo, vt iustus est Aristides, ergo æquitati studet. Docilis animo, ergo erit doctus.

Locus a victu.

9. *A Victu.*

LOCVS a Victu hoc habet axioma. Vsus promptos facit, vt, Assueuit lasciuire, ergo erit intemperans, & libidinosus: Frequenter bibit, ergo erit ebriosus.

Locus a rebus gestis.

10. *A rebus gestis. Cicero pro lege Manilia.*

MAXIMA in loco a rebus gestis est, quod Facta ostendunt virum, vt Catilina in patriam coniurauit, ergo indignus fuit magistratu: Pompeius totam Asiam subegit, ergo dignus est, vt præficiatur bello Mithridatico.

Locus a Morte.

11 *A Morte. In personarũ locis non spectantur necessitas conclusionis, sed probabilitas rationis.*

MORS vltima linea rerum est: apposite igitur hoc traditur axioma quod exitus acta probat, vt Roma lugebat occiso Catone, ergo vir bonus fuit Cato.

Cautio.

QVANQVAM alia a quibusdam personarum loca assignentur, hæc tamen quasi exemplaria sunt, ad quæ reducuntur reliqua, in quibus non est quod expectes necessitatem conclusionis: satis enim est, si probabilitatem rationis inuenias. Omnia breuiter perstrinxi, vt illa statim oculis percurrere, & animis complecti adolescentes possint.

Verum

Vtrum recte definiantur membra loci (vt aiunt) Differentiæ.

ACVTE olim veteres Philosophi locum diuiserunt in locum Maximæ, & in locum Differentiæ: ille est sedes indubitatæ propositionis, qua non est altera prior, neque notior, vt omne totum est maius sua parte. hic est modus, quo vna maxima, ab alia maxima distinguitur. Pro exemplo ponantur hæ duæ maximæ. De quocunque dicitur Species, de eodem dicitur Genus; similiter de quocunque dicitur definitum, dicitur etiam definitio: quæ duæ si perpendas, in varietate terminorum discriminantur, vnde hic locus Differentiæ nominatur. Nam hi termini, nimirum genus, species, definitum, & definitio Differentia harum Maximarum dicuntur. Sciendum nunc est, quod locus differentiæ subdiuidatur in locum internum, externum, medium. Internus est, qui continet argumenta, quæ sumuntur, vel ab ipsa substantia, vel concomitātibus substantiam rei. Externus est, qui continet argumenta quæ sunt omnino separata a substantia rei, de qua quæritur. Medius est quando sumitur argumentum ab his, quæ partim conueniunt cum re, de qua est quæstio, & partim differunt. Hanc partitionem loci in intimo memoriæ thesauro defigere oportet. Ex hac enim vt a fonte omnia flumina inuentionis rectissime fluunt, & deducuntur.

De locorum differentiis.

Locus differentiæ quid.

Locus Internus, Externus, & Medius, quid.

TABVLA.

Locus rerum est vel
- Maximæ.
- Differentiæ, qui est vel,
  - Internus qui est aut
    - Absolutus a substantia rei, vt a definitione, descriptione, notatione.
    - Comparatus a cōcomitantibus substantiam rei, vt a toto, a causis, &c.
  - Medius, vt si arguatur a coniugatis, hoc modo. Iustum est bonum, ergo iustitia est bona. Hic iustum, & iustitia partim conueniunt, in significatione naturæ, partim differunt in significatione subiecti, vnde locus a coniugatis medius dicitur.
  - Externus, vt ab appositis, a simili.

Oppo nen.

Omnis locus Topicus se habet ad argumentum vt locus natiuus ad ipsum locatum sed omnis locus natiuus est externus respectu locati: ergo omnis locus Topicus est externus respectu argumenti.

Resp.

Simile non est idem: quare etsi locus Topicus imitetur locum naturalem in generatione, & conseruatione argumenti non tamen omni proportione vtriusque. Si vrgeas nullum locum esse de natura argumenti, & proinde omnem esse externum: Respondeo locum internum dici non quod ipse sit ex essentia, sed quod partes axiomatis in loco essentialiter inter se cohæreant, vt homo, & animal rationis compos.

Oppon.

Omnis locus est medius respectus inter terminum, vt aiunt inferentem, & terminum illatum: ergo nullus locus est internus simpliciter, aut externus.

Oppon.

Omnis locus est medius respectus inter terminum, vt aiunt, inferentem, & terminum illatum: ergo nullus locus est internus simpliciter, aut externus.

Resp.

Argumentum non sequitur: nam medium non dicitur, quia partim infert, partim infertur, sed quia ex vna parte essentiam, ex altera affectionem significet vt iustum in argumento petito a coniugatu non differt in essentia a iustitia, in significatione tamen subiecti differt: nam iustum in concreto significat præter qualitatem, hominem.

Vtrum locus a definitione bene assignetur?

CRAMBEN bis coctam apponerem si hic iterum quid definitio, quid descriptio, quid notatio sit dicerem. Hæc enim inter prima elementa artis satis enucleata patent. Nunc ergo non quæ sunt ipsa, sed qualia sint eorum loca disputare contendo. Quanta vis, quantus & quam insignis vsus sit definitionis, præclarum illud Oratoris in primo offic. testimonium declarat, cujus verba hæc sunt: Omnis, quæ a ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet a definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur. Nullus ergo locus inuentionis vel dignitate præstantior, vel firmitate neruosior, vel vsu frequentior est, quam iste, qui a definitione nascitur. Sed ne longius abeam: locum aggrediar qui definitur: Nexus quidam, & quasi perpetuum vinculum definitionis cum suo definito. Hoc ipsum aperte ostendunt Maximæ, quæ sunt tam respectu definitionis, quam definiti traditæ. Prima est affirmatiua, aut subijciendo, aut prædicando: Subijciendo: vt, Cuicunque subijcitur, definitio, subijcietur definitum: Prædicando; vt, De quocunque dicitur definitio, de eodem dicetur definitum. Altera est negatiua eodem pene modo; vt, Quicquid negatur de definitione, negabitur etiam de definito: vel, De quocunque negatur definitio, de eodem negabitur definitum exempla in re quasi sensibus obiecta tacitus prætermitto. Notandum hoc vnum existimo, quod eadem axiomata de definito respectu definitionis tradi debent, quæ de definitione respectu definiti tradebantur. Recte enim cohærent ista pronuntiata: Homo est doctus, ergo animal rationis compos est doctum. Plato est homo, ergo Plato est animal rationis compos. Pari modo negatiue a definito ad definitionem tenent: vt, Homo non est doctus, ergo animal rationis compos non est doctum. Definitionem quasi anchoram, ad quam omnis natura: Locum definitionis quasi asylum, ad quod omne problema refertur, ex his quæ dicta jam sunt aperte videas. Sit ergo hæc methodus, & via disserendi semper ante oculos posita, vt si fieri possit commode, a definitione omnis suscipiatur ratio. Si dicat Epictetus Deum iniuriam facere, a loco definitionis refelle, demonstrando Deum nemini sponte posse nocere. Si Epicurus dicat sapientem inuidum esse, refelle eodem modo, demonstrando sapientem, secundis rebus bonorum non vulnerari.

Definitionis vis & vsus.

Locus definitionis quid est? Maxima.

Definitio est omnium prædicatorum anchora. Locus definitionis est omnium reliquorum quasi asylum.

DISTINCTIO DEFINITIONIS HABETVR iu primis elementis Dialectices.

Oppon.

Arist. 1. Lib. Elenchorum.

Non est verum locus inuentionis, in quo fundatur fallacia Sophistica, sed in loco definitionis fundatur petitio principij, quæ est fallacia Sophistica, ergo non est verum locus inuentionis. Minor probatur, quia arguẽdo a definitione ad definitum, idem per

idem confirmatur, at petitio principij est eiusdem per idem probatio, & quasi circularis disputatio, ergo.

Resp.

Intentio sæpe facit peccatum, intentio semper parit fallaciam, vt recte ait Thomas: quare cum non sit intentio fallendi in differente a vera definitione ad definitũ non est fallacia. Præterea duo in definitione spectantur, constitutio definiti, & sic est idem cum definito, vel inventio argumenti, & sic non est idem, sed quiddam notius modo, & ratione explicandi. *Duo in definitione sp. ctanda.*

An locus a descriptione, & notatione nominis recte assignetur?
An loca a Synonimis, a specie, a differentia, a proprio ad locum definitionis, & subiecti reducantur?

VERBORVM ambagibus relictis, descriptionem, notationemque sub loco definitionis recte contineri affirmo. Mutato enim nomine omnia axiomata in illo tradita huc aptissime referri possunt, vt de quocunque dicuntur aut negantur descriptiones & notationes, de eodem dicuntur aut negantur descripta, ac notata, &c. Cæterum dubium hic suboritur, quomodo descriptio & notatio, quæ rem per accidentia explicant, inter loca absoluta in substantia annumerari possint: cum termini, vt aiunt inferentis in locis simpliciter a substantia ductis conuersim totam naturam termini illati patefacerent. Respondeo duplicem necessitatem spectari in locis insitis, vel naturæ, vel consequentiæ: illam in definitione, hanc in descriptione, & notatione pono. Non est enim necesse, vt omnis locus a substantia essentiam declaret, sed satis est, si conuersim cum essentia retrocomeent. At de his hactenus. *Descriptio & notatio sub loco definitionis continentur.* *Dubitatio prima.* *Respon. Necessitas duplex in locis internis, essentia, & consequentia.*

Restat nunc alia dubitatio. An sint plura loca simpliciter in substantia præter hæc, quæ explicantur. Sub istis alia quatuor ponunt interpretes, nempe locum a Synonymis: vt, Honestum est, ergo id quod decet. Locum a specie ad germanam differentiam, vt homo currit, ergo rationale currit. Locum à specie ad propriam passionem: vt Homo currit, ergo Risibile currit. Locum denique ab expositione singularis, ad expositum; vt Nihil aliud præter hominem disputat, ergo solus homo disputat. Hæc quatuor conuersim dicũtur, nec non easdem maximas cum definitione sortiuntur. *Dubitatio secunda. Solutio. Hæc sunt annexa definitionis.*

Loca a substantia reciprocantur aut quoad:
- Naturam, idque vel
  - Simpliciter, vt locus a definitione.
  - Ex parte, vt locus a descriptione, quæ in se genus: & locus a differentia, quæ in se speciem continet.
- Consequentiam, vt reliqua ab interpretatione nominis, ab expositione rei.

Oppon.

Alia sunt multa loca inuentionis, quæ necessariam habent consequentiam præter ista, ergo ridiculum est sic distinguere: aut plura sunt constituenda loca simpliciter interna, antecedens probatur, quia loca a specie ad genus, a toto ad partes, a coniugatis necessitatem consequendi habent.

Resp.

Multa quidem sunt alia loca, quæ necessitatem consequendi habent, sed non ita, vt hæc loca habent. Nam termini & maximæ in his locis tam affirmatiue quam negatiue conuertuntur, in reliquis non item: vt Homo est, ergo animal est, bene sequitur: sed animal est, ergo homo est, non sequitur. Quare est consequentia.

Consequentia duplex.

duplex { *Conuertibilis, quæ est in omnibus locis a substantia:*
Non conuertibilis, quæ est etiam in aliis locis.

Quid totum? quotuplex? & an locus a toto vniuersali recte assignetur?

Campus inuentionis assimilatur acies.

Octo substantiam concomitantia.

Totum vniuersale.

Locus a parte.

SI quibus cura sit diligenti indagine perscrutari loca inuentionis, attente animaduertere debent, quam diuer sint ordines, & quasi gradus locorum, quorum alia in prima veluti acie ponuntur, nempe a substantia, quæ vt Delphicus gladius vtrinque feriunt: alia in secunda, a concomitantibus substantiam, quæ semper naturam rerum, vt vmbra corpus sequuntur. Agnosco equidem dispungi hæc loca a quibusdam e canone locorum Dialecticorum, sed qui hoc agunt sunt illis similes, qui armis sublatis nudos & inermes milites in apertum Martem prouocant. Hæc non minus arcem inuentionis muniunt, non minus hostem pulsant, quam quæ a definitione promuntur. Sed vt summatim dicam; octo sunt a concomitantibus substantiam dicta. A toto, A parte, A causa, Ab effectu, Ab ortu, Ab interitu, A communi Accidente, & Ab vsu. Totum vt vides primum occurrit. Primus ergo locus a toto ducetur. Verum cum multiplex sit totum: nempe vniuersale, integrale, & in quantitate: Idemque in loco, in tempore, in modo: Partitione facta nominis, prima significatio sumenda est Totius, nēpe vniuersalis: Quod est, (vt breuiter definiam) nihil aliud, quam omne superius naturæ ordine, siue sit Ens rei, siue sit Ens rationis, quod vel actu, vel potentia de pluribus prædicatur. Axioma huius loci est, quod a toto vniuersali indefinite sumpto, semper negatiue: vniuersaliter vero accepto, semper affirmatiue procedit ratio. Exemplum primæ partis est: vt non est animal, ergo non est homo. Exemplum secundæ partis est: vt omne animal est: ergo est homo. Alter locus huic cognatus a parte ducitur, quæ hoc loco sumitur pro omni inferiori minusque communi: cuius Maximæ duæ sunt, quarum altera hæc est: Quicquid cadit in partem subiectiuam, illud ipsum cadit in totum vniuersale eiusdem indefinite sumptum, vt homo currit, ergo animal currit. Altera hæc: De quocunque dicitur pars subiectiua, de eodem dicitur totum vniuersale eiusdem partis: vt quia homo dicitur de Socrate, animal quoque dicetur.

Totum est quod constat, perficiturque partibus.
Totum vniuersale est, cuius nihil est extra id in quo est.

Totum triplex {
- Vniuersale, vel {
  - Vniuersaliter sumptum cum signo, vt omnis homo, omne animal: & sic a toto ad partes locus tenet affirmatiue.
  - Indefinite sumptum, vt homo, animal: & sic negatiue a toto ad partem disputatur.
- Integrale, quod est vel {
  - Homogeneum, seu similare, cuius partes sunt eiusdem nominis cum toto, vt quæuis pars aquæ, aqua dicitur.
  - Heterogeneum, seu dissimilare, cuius partes non sunt eiusdem nominis cum toto, vt manus.
- In quantitate, quod est in { Tempore, Loco, Modo. } De quibus suo ordine.

Cau-

Cautio de loco a parte subiectiua.

QVicquid cadit in speciem, cadit in genus, vt ait Philosophus 2. Topicorum: Sed ab hoc loco excipiuntur tria. Essentiale, vt differentia speciei. Conuertibile vt proprium speciei. Intentionale, vt hoc ipsum nomen speciei. Hinc ista enthymemata non sequuntur, homo est rationalis, ergo animal est rationale. Iterum, homo est risibilis; ergo animal est risibile. Postremo homo est species infima, ergo animal est species infima.

ARGVMENTA.

Oppon.

Prima regula antepredicamentalis est contra hunc locum. a toto vniuersali indefinite sumpto, ergo male traditur. Antecedens probatur, quia regula docet quod quicquid prædicatur de prædicato, id est, de superiori, prædicetur etiam de subiecto, id est, de inferiori. Idem docet philosophus, cap. de substantia.

Resp.

Tenet illa regula præcipue in internis prædicationibus rerum quæ actu in eodem ordine cohærere dicuntur. Vel dicendum est ex hypothesi, seu suppositione, cum sunt inferiora disputasse Aristotelem: & hoc posito recte sequitur a superiori ad inferius vt animal est sensibile: ergo homo est sensibilis, posito quod sit homo, quod non est necesse, cum animal possit conseruari in bellua.

Vtrum locus a toto integrali recte assignetur?

TOtum integrale est, quod constat ex partibus quantitatem habentibus: ab hoc vt a toto vniuersali, varia & multiplex fluit inuentio: cæterum ne ab hoc loco differentes erremus, attendendum est, quod partes integrales sint vel primariæ, vt cor, iecur, cerebrum in homine: vel minus primariæ vt pes, manus, digitus. Hinc loci Maxima traditur, quod posito toto integrali, partes primariæ quoque ponantur; primariæ inquam, quia a toto ad partes minus primarias ratio non sequitur: exempla sunt: vt Dialectica est, ergo judicium & inuentio; planta est, ergo radix; domus, ergo tectum & fundamentum. A parte integrali primaria fit etiam argumentatio, sed tantum negatiue, vnde talis adhibetur maxima: nempe quod sublata parte primaria labefactetur totum, vt non est cor, ergo non est homo; non est tectum, ergo non est domus. Ratio huius maximæ est, quia conuulso priore conuellitur etiam posterius: sed pars integralis primaria est prior toto; ergo conuulsa parte primaria, totum necessario concidit. Vsus istius loci longe lateque patet apud Oratores, exempli causa: si velis cum mellifluo Bernardo superbiam humanam retundere, ab hoc loco sic agas. Quid est homo? Totus sane ex humo natus; quid aliud in eo est vertex capitis, nisi testa valde fictilis? quid cerebrum, nisi lutum coagulatum? quid oculus, nisi humor diffluens? quid nares, nisi meatus putredinis? quid venter, nisi saccus stercorum? Quid ergo superbis terra & cinis? impurum sterquilinium, imo stercus ipsum quid superbis?

Totum integrale. *Partes integrales primariæ & minus primariæ.*

Quid mortalis.

{ Homogenium, quod refertur ad locum totius vniuersalis, quia partes eius idem nomen, eandemq; naturam habet cum toto.

Totum integrale duplex { Heterogeneum quod consideratur vel vt est { Perfectum in existentia, & sic a toto ad omnes partes sequitur ratio, vt homo est, ergo pedes & manus habet.
Perfectum in essentia tantum, & sic ad primarias partes solum restringitur.

Oppon.

Si recte assignetur locus a toto integrali tum hoc argumentum sequaretur: Tota domus valet centum minas, ergo pars domus tantum valebit.

Resp.

Non tenet hic locus nisi in prædicatis secundi adiacentis, si enim ab adiunctis disputetur, non cohæret.

Oppon.

Si locus a parte integrali teneret solum negatiue, tum hæc argumenta non sequerentur, vt, est pars panis ergo panis: pars aquæ ergo aqua, sed teste Philosopho, sequuntur; ergo fallax est hic locus.

Resp.

Partes hoc in loco *dissimilares tantum intelliguntur, nam similares ad locum totius vniuersalis referuntur.*

An locus a toto & parte in quantitate sub toto vniuersali contineatur.

A toto & parte in quãtitate. Odit hæc ætas prolixitatem, quæ parit tædium: ne ergo molestior sim verbis, quam est necesse, hunc locum a toto & parte in quantitate tacitus prætermittam. Si rationem quæras, hanc reddo, quia hic locus eandem vim, eandem maximam, eandem omnino interpretationem admittit, quam ille a toto vniuersali: est enim totum in quantitate omne superius vniuerse sumptum, vt omnis homo totum in quantitate dicitur, non quod sit quantitas, sed quod quantitatem proportione quadam diuisionis imitetur: a toto disputatur hoc modo, omnis Planta viuit, ergo omnis arbor viuit. A partibus autem non diuisim sed coniunctim sumptis, sequitur ratio, vt in inductione perfecta constat.

Oppon.

Non sequitur, Plato disputat, ergo omnis homo disputat, ergo male assignatur hic locus a parte, &c.

Resp.

Partes in quantitate capiuntur dupliciter { *Diuisim, & sic ab illis non sumitur argumentum ad totum in quantitate.*
Coniunctim siue collectim, & sic recte sumitur, tam affirmatiue quam negatiue.

Oppon.

Non sequitur negatiue, nam Socrates non est totum in quantitate, Plato non est totum in quantitate, & sic de cæteris: ergo omnis homo non est totum in quantitate.

Resp.

Non sequitur, quia recte non concluditur: nam in inductione non tam materia rei, quam forma argumenti spectatur, quæ in hac inductione deficit, quia per signũ affirmatiuum non negatiuum concluditur.

An locus a toto & parte in modo recte assignetur?

Totum in modo est vniuersale confusum, & nullo restrictionis vocabulo circumscriptum, vt animal respectu animalis candidi, homo respectu hominis eruditi. Pars in modo est vniuersale, seu minus commune, certo contractionis vocabulo restrictum & quasi terminatum, vt homo doctus respectu hominis: animal mansuetum respectu animalis. Argumentum ex hoc loco sumitur eodem modo, quo a genere ad speciem, & ex aduerso; si enim totum non sit, pars non erit, vt homo non est, ergo homo doctus non est. Canon respectu partis in modo hic traditur: cum quo conuenit pars in modo, cum eodem conuenit totum eiusdem partis, vt homo est candidus, ergo est homo. *A toto a parte in modo*

In loco a toto in modo spectantur duo:

- Determinatio vel circūscriptio vocis quæ est vel
  - Contrahens, quæ efficit rem cui additur paucioribus cōuenire. vt iustum respectu hominis.
  - Diminuens, quæ partim tollit, partim relinquit rationem eius, cui additur, vt album dentibus, nudum pedibus dicimus.
  - Priuans, quæ tollit rationem eius, cui additur, vt pictum, mortuum respectu hominis.
  - Augens, seu superaddens, quæ significationem eius cui additur latius diffundit, vt opinabile respectu entis, quod nomen entis, non ens distrahit.
- Forma rationis, quæ tantum sumitur a primo genere restrictionis in hoc loco: nam in reliquis modis oritur fallacia, vt in diminuente; Æthiops est albus dentibus, ergo Æthiops est albus; in priuante, vt homo est pictus, ergo homo. Postremo in augente, vt vacuum est ens opinabile, ergo est ens. *NOTA.*

An inuentio a toto in loco, & in tempore recte tractetur?

Totum in loco designatur per aduerbium, quod omnem locum significat: Totum in tempore ad eundum modum definitur. Pars in loco, aut tempore, est quicquid particulariter, locum aut tempus denotat, vt hic, illic respectu loci: hodie, cras, respectu temporis. Argumenta, quę hinc petuntur, parem similemque inuentionem habent cum loco a toto in quantitate, vt cuicunq; cunuenit vel non conuenit totum in loco aut tempore; eidem conueniat, aut non coneniat, pars vtriusque; exēpli causa: Deus est vbiq; ergo hic est. Deus est semper, ergo nunc est. Cæterū a partibus horum: tātum negatiuè valet argumentatio, vt venenatum animal non est in Hybernia; ergo venenatum animal non est vbique. In accessione morbi non est medicandum, ergo semper non est medicandum. Attende tamen, qnod ab hisce partibus simul sumptis: vt in cæteris a toto, affirmatiua petatur ratio, Vt Deus est in cælo, in terra, in inferno, &c. ergo est vbique. Deus est heri, cras, hodie; ergo est sempiternus. Est (inquam) heri, nam non fuisse dicitur. Omne enim tempus Deo præsens.

Oppon.

Vniuersalia sunt vbiq; ergo ex hoc loco sequetur, quod sint hic & illic, sed hoc est falsum: ergo locus est fallax.

Resp.

Vbiq; { Actu. Aptitudine.

Aliquid est vbiq; dupliciter { *Actu & simpliciter, & sic Deus, qui est simplicissimus actus & perfectio omnium.* *Aptitudine, in suis partibus, & sic vniuersale est vbique, quia res singulæ sunt vbique, in quibus consistunt: primo modo non secundo tenet.*

Oppon.

Partes temporis non possunt esse simul ergo ab illis simul sumptis per hunc locũ a partibus in tempore disputari non potest.

Resp.

Simul non sunt actu existentiæ, sunt tamen actu intelligentiæ, quæ rationem ex rebus elicit.

Cautio de locis a toto.

Carpit Scotistas.

EST quoddam genus interpretum plenum fraudis, inane prudentiæ, qui spinosioribus argutijs capti, noua, nescio quæ, tota, nouaque loca de toto excusserint. Est (inquiunt) totum diuisionis totum potestatis, totum successionis; quod diuisiuum, potestatiuum, successiuum appellant. Ab his non minus firmam inuentionem petı existimant, quam ab illis, de quibus iam multa diximus. Cæterum ne mirere dixis, ne aurum effodiens, in ferrum incidas, ne vires inuentionis quærens, virus Scotistarum decorres. Quid est quæso quod te sollicitum reddat, in illa totius diuisione? Multiplex hoc totum, procuĺdubio dixeris. Age tolle hoc totum. Quid cum perturbat? Nihil. Non est ergo quod sis sollicitus nam fictum est, commentum est, aut saltem alijs nominibus obscuratum, quod idem est: nam totum diuisionis est idem cum toto in quantitate, totum potestatis idem est cum genere. Totum successionis idem est cum tempore.

Diuisio totius apud Scotistas ne eadem cum priori.

Vsum istorum locorum a toto si requiras, exemplum hoc breue, quod sequitur, perpende.

A toto vniuersali.
A toto integrali.
A toto in quantitate & modo
A toto in loco & tẽpore.

QVid est (improbe Iuliane) quod studium Dialectices omnibus Christianis, per legem interdixeris? nonne omnis scientia a Deo est? non ergo omnes partes scientiæ laudatissimæ? si omnes? cur Dialecticam tollis? cur contemnis? video causam (Apostata) iudicium, & inuentio tuam hæresin, tuamque apostasiam conuulserunt. Fulmina ergo tam præclaræ artis sustinere non potueris. Quare fulmine ictus iuste peribas. Dic mihi, nonne recta ratio est laudabilis? Quamobrem ergo artem, quæ huius vsum docet, odio prosequeris? Postremo, nonne vbique ab omnibus honorifice recipi? nonne semper ab omnibus mirifice laudari tenserat? Non ergo fuit causa cur impia lege condemnares.

De causis.

PALLIO & lauro Philosophorum mihi videntur indigni, qui causarum loca inter assumpta, & externa enumerant, nam siue necessita-

tem rei,

necessitatē rei, siue vim argumenti in illis spectes, causam profecto haud inuenies, cur ab internis sedibus inuentionis pellerentur. Acrius hanc rem non persequar, cum infantissimus omnium intelligat materiam, quæ partum naturæ conficit: formam quæ perficit: efficientem causam quæ mouet: finem qui absoluit, non frontem, sed centrum id est non existentiam, sed essentiam rerum attingere, & resecare. Vanis ergo istorū placitis dissiliēs, ad causam definiendā venio. Est causa (vt ait Aristoteles) cuius vi elicitur effectus. Nam vt mater prolem, ita causa effectum parit. Diuiditur, vt modo diximus, in materiam, formam, efficientem, finem. In his motum ad constitutionem physici, in his locum ad inuentionem Dialectici considerant. Vterque in eodem versatur, in modo tamen contemplationis differunt.

Loci causarū interni.

Causa quid.

Quomodo Physici, quomodo Dialectici causam considerant.

Causa duplex
- Interna quæ vel respicit
  - Potentiam, & sic est materia, ex qua res constat.
  - Actum, & sic est forma per quam res definitur
- Externa quæ spectat
  - Dispositionem naturę, & sic est efficiens causa, a qua prima alteratio nascitur.
  - Intentionem naturæ, & sic est finis, ad quem hæc omnia destinantur: si ergo respicias potentiam, materia; si actum, forma; si motum, efficiens: si scopum naturæ, finis, prima causa dicitur.

Omnis causa quodam respectu prima dici potest.

Oppon.

Fortuna, casus, instrumentum, causa sine qua non, priuatio, ab Aristotele causæ dicuntur, sed inter hæc genera non enumerantur: ergo sunt plura causarum genera.

2. Physic.

Resp.

Reducuntur analogice ad efficientem causam: non tamen proprie vt ab illis argumenta petantur.

Oppon.

Causa & effectus sunt simul: vt sol & lumen, ignis & calor, homo & risibile: ergo male definitur, vt sit prior effectu.

Resp.

Etsi multæ sint causæ simul tempore, non tamen sunt simul natura.

An locus a causa efficiente recte tractetur?

A causa efficiente.

CAusam effectricem definiunt Philosophi, a qua primo fit motus, vt aliquid fiat; vnde in 2 Physic. non aliter quam ipsa natura definitur: cæterum motum constitutionis natura, motum alterationis efficiens causa respicit. Est enim natura principium motus, & quietis, sed internum; Nam a natura fit constitutio. Est efficiens causa quoque principium motus & quietis, sed externum; ab efficiente enim fit alteratio. Hinc recte distinguitur, vt alia sit necessaria, quæ externo impetu efficitur. Locus Topicus ab vtroque genere fluit; Nam a necessaria causa efficiente, ad effectum: & ab effectu ad causam tam affirmatiue quam negatiue petitur argumentum. Vt sol non est super horizontem; ergo dies non est. A minus necessaria ad effectum tenet tantum affirmatiue, ab effectu tenet ad causam, tantum negatiue; vt incendium est caloris in corde, ergo febris est: non est febris, ergo non est incendium caloris in corde.

Causarum efficientium aliæ sunt:
- Necessariæ, quarum cum effectis indissolubilis est connexio, vt sol lucet, ergo dies est.
- Minus necessariæ, quarum aliæ sunt in
  - Potentia ad effectum, sic appellatæ, quia argumenta ab illis ducta tenent tantum quoad potentiam, vt pistor est, ergo panis esse potest.
  - Actu, quæ agentes simul sunt cum effectis, vt iugulatus est, ergo interijt.

Oppon.

Locus efficientis causæ est externus: ergo non præcederet loca a materia, & forma quæ sunt interna.

Resp.

Ordine disciplinæ propter communitatem, non ordine naturæ propter necessitatē præcedit.

Oppon.

Est externus: ergo male annumeratur inter interna.

Resp.

Etsi causa efficiens sit externa quoad constitutionem rei, est tamen quodammodo interna & necessaria, quoad consequutionem argumenti.

Oppon.

Alia maxima in 2. Topicorum huic loco traditur, nempe si efficiens causa sit bona vel mala, effectus erit bonus vel malus, & ex aduerso: ergo male hic statuitur.

Resp.

Qualis est causa efficiens in bono vel malo, talis est effectus: hæc maxima adiunctum causæ, altera ipsam naturam respicit, quare hæc sub illa continetur.

An locus a Materia recte assignetur?

Materia. ARcana res est materia, virgula sola Philosophorum demonstrata, ad nostrum tamen propositum recte describi potest, causa ex qua aliquid constat, vt cera cui imprimitur imago Cæsaris. Hæc est vel permanens, vt ferrum in gladio: vel transiens, vt ignis in ferro. Locus a permanente materia est ad potentiam effectus, vt ferrum est, ergo arma ferrea esse possunt: & ab effectu ad actum causæ sequitur, vt arma ferrea sunt, ergo ferrum est. A transeunte eodem modo ad effectum disputatur, vt silix est, ergo vitrum esse potest: & ab effectu transeuntis materiæ actu in rerum natura posito, sequitur materiam fuisse, vt vitrum est, ergo silix fuit, panis est ergo farina fuit.

Materia duplex:
- Prima, quæ definitur ens in potentia, a quo omnia primum oriuntur, & in quod vltimo resoluuntur.
- Secunda duplex.
  - Naturalis, quæ est duplex.
    - Permanens, vt flaua bilis in tertiana febre, melancholia in quartana, a qua tenet ratio ad potentiam effectus affirmatiue & negatiue, vt patet supra.
    - Transiens, quæ non manet in re effecta, sed mutatur in aliam formam, vt farina & aqua mutantur in panem.
  - Artificialis quæ imitatur naturam, idemque inuentionis artificium sequitur.

Oppo-

Oppon.

Omnis materia est pars rei, sed omnis pars manet in toto; ergo nulla materia transiens recte dicitur.

Resp.

Transiens dicitur, non quod non maneat in suo effectu, sed quod non maneat eadem, aut sub eadem forma.

Oppon:

Si locus hic re[illegible] a[illegible]ur, tum ista esset bona consecutio, ferrum est res naturalis; ergo gladius est res naturalis, sed non sequitur ergo male statuitur.

Resp.

Hic locus non tenet in [illegible] causarum semper, sed ab esse causæ (vt aiunt) ad esse effectu[illegible] s est aqua inter cutim & carnem; ergo potest esse pleuritis.

An locus a forma recte statuatur?

Forma.

RVdis & confusa est materia sine forma: per formam pulchra & decora redditur. Est enim forma perfectio, & ornamentum materiæ (vt ai. Boetius,) est causa, quæ cuilibet rei, naturam, nomen, vim, perfectionem tribuit, vt ait Aristoteles. Locus a forma, ad rem formatam neruosus petitur: nam posita forma, aut labefactata ponitur, aut labefactatur effectus necessario: vt est anima vegetatrix, ergo est planta: non est anima vegetatrix, ergo non est planta. Sed attende hic proximam, non remotam: propriam, non communem formam intelligi. Ab effectu formæ ad eundem modum excuditur inuentio.

Forma est
- Interna duplex.
  - Caduca, vt forma belluæ.
  - Æterna, vt forma humana, in qua non tenet maxima, vt, ait Hunæus, sed vide sequentia argumenta.
- Externa Respectu.
  - Subiecti simplicis & sic non sequitur.
  - Compositi & sic tenet locus, vt albedo est, ergo album est, scientia, ergo sciens est, & ex aduerso.

Oppon.

Posita anima ratiocinatrice, non tamen ponitur homo, nã anima ratiocinatrix potest separari: ergo non tenet locus in omnibus formis.

Resp.

Anima ratiocinatrix consideratur vel vt est.
- *Spiritus. & sic non sequitur locus*
- *Actus & forma corporis, & sic sequitur: nam definit esse actus cum separatur.*

An locus a causa finali recte statuatur.

Finis est norma omnium. 1. Ethic.

SApienter Thales: Respice finem, quod dictum non solum in stadio rerum humanarum, quę aguntur, sed etiam in studio bonarum artium, quæ vi mentis perdiscuntur, vim suam vendicare puto. Temere enim agis quicquid agis, si non consideres finem: inconsulto studes quicquid est, quod discis, si non proponas scopum. Inter semina ergo, & loca inuentionis, quæ a causis ducuntur, finis iure optimo recensetur: quippe finis est norma omnium causarum, per quam effecta demetimur: hinc definitur causa, propter quam reliqua omnia fiunt: causa quia mouet, finis quia claudit: causa quia primum est in intentione.

effectus seu finis, quia postremum est in perfectione rerum. Locus Topicus a fine tenet solum in bono & malo: vnde isti canones, & leges huius loci sanciuntur, Si finis sit bonus vel malus, res ipsa erit bona vel mala, vt contemplatio Dei est in bonis, ergo oratio est bona. Adulterium est malum, ergo sollicitare alienam coniugem est malum. Effectus ipsius finis hoc in loco pro medio ad finem destinato accipitur. Pro medio inquam non omni, sed pro germano, & quod vulgo per se dicitur, vt est virtus respectu fœlicitatis, non fortuna: sequitur enim fœlicitas est in bonis, ergo virtus est in bonis: sed nō sequitur: fœlicitas est in bonis, ergo diuitiæ sunt bonæ, & tamen diuitiæ sunt mediæ ad fœlicitatem.

Finis duplex
- Terminus durationis, vt mors, & sic non est causa, quia non habet rationem principij.
- Terminus intentionis in agente pro effectu, & sic est causa vel
  - Media, vt virtus.
  - Vltima, vt beatitudo: De istis duabus, vltimis finibus, locus hic traditur.

Vsus locorum a causis.

A materia. *A forma.* *Ab efficiente.* *A finali.*

Breue de vsu causarum sit hoc exemplum. Quid est quod auri tanta sit sitis, tantaque fames? si materiam spectes nihil aliud est, quam vapor fœtidus, & corrupta terræ glebula. Adeste Mydas & Crasse, quid cernitis in auro, quod tantopere illud diligatis? vt pulchritudo Veneris non est sine næuo: ita forma & splendor auri non est sine scoria: imo quid aliud est, quam flauum stercus naturæ: Effossum miro habendi impetu. Defossum misero animi cruciatu. Amissum tandem stultissimarum voluptatum exitus. Tacto auro contabuit Mydas. Exhausto auro contabuit Crassus. Beatus ergo est, qui potest mundum & aurum contemnere.

An locus ab ortu & interitu recte assignetur?

Ab ortu & interitu. *Forma perficit Priuatio corrumpit.* *Ortus naturalis, & artificialis.* *Corruptio.*

Omnium rerum est vicissitudo, quæ ab ortus, interitusque successione pendet accedit forma, quæ non fuerunt tum generantur, inuadit priuatio, quæ modo florebant, in puluerem rediguntur: sic est natura non citius nata quam corrupta: Nascentes enim morimur. Sed locum non naturam ortus interitusque quæro. Est ergo ortus cuiuspiam rei naturalis vel artificialis productio, vt germinatio plantæ, ædificatio domus. Corruptio (vero est e diametro cuiuspiam rei interitus & priuatio, vt mors hominis, putredo seminis. Locus ab ortu sic se habet: si origo alicuius sit bona, vel mala, res ipsa erit bona, vel mala: vt nasci Christum est optimum, ergo Christus est optimus. Nasci Iudam fuit pessimum, ergo Iudas fuit pessimus. Locus ab interitu hoc modo: cuius corruptio est mala, res ipsa erit bona; cuius corruptio bona, res ipsa erit mala: vt iactura virtutis est mala, ergo virtus est bona: interitus vitiorum bonus, ergo vitia sunt mala.

Generatio accipitur,
- Stricte, vt est constitutio substantiæ.
- Fuse, vt est tam substantiæ, quam accidentis mutatio, & sic hoc loco sumitur: Idem dicendum est de interitu.

Oppon.

Locus corruptionis videtur externus, nam terminus inferens termino illato est aduenititius: ergo male tractatur inter loca interna.

Resp.

Fateor locum esse externum, enumeratur tamen inter interna: vt locus ignorationis rectius intelligatur: nam oppositorum eadem est doctrina.

Oppon.

Generatio Catilinæ fuit bona & perfecta, ergo Catilinæ fuit bonus: hoc argumentum ab hoc loco non sequitur. ergo Maxima eiusdem non recte assignatur.

Resp.

Bonum & malum hoc loco, ad genitum, corruptum, & finem vtriusque referuntur: quare non sequitur hoc argumentum, quippe in eo mutatur suppositio, a bono naturæ ad bonum morale, quippe in eodem genere boni versatur locus.

An locus ab Vsibus rerum recte assignetur?

VT est annosa planta sine fructu: ita res quælibet est sine vsu. Frustra enim rebus cognoscendis animum accommodas, si rerum vsum non perquiras. Definitur vsus, functio rei cuiusque, aut ad suum finem accommodatio. Axiomata & veluti bases huius loci sunt, vt illud sit bonum vel malum, cuius vsus est bonus vel malus. Exempli causa, equitare bonum est, ergo equus bonus est. Vsus Magiæ malus est, ergo Magia mala est. Leges in hoc loco sunt duæ: Prima, ne argumentemur in bonis & malis per se. Altera, ne pro vsu vero, sumatur abusus rerum: vnde non sequitur, interficere hominem malum est, ergo gladius malus est: quippe ad propulsandum iniuriam non ad occidendum hominem gladius comparatur.

Ab vsibus. *Vsus quid?* *Leges huius loci.* *Vsus gladij.*

Vsus rerum dupliciter considera-tur, vel vt est
- In intentione agentis. & sic non differt a fine, nam finis & vsus conuertuntur.
- In perfectione operis idque, aut per
  - Comparationem ad causam efficientem, vt vsus securis ad hominem vtentem securi.
  - Comparationem ad rem ipsam in vsu positam, & sic hic locus ab vsibus denominatur.

Opponens

Ebrietas est mala, ergo vinum est malum: crapula est mala, ergo cibus est malus, non sequitur ex hoc loco: ergo videtur male tractari.

Resp.

Nec ebrietas est vsus vini, nec crapula cibi: sed vtrumque sunt vitia intemperantiæ.

Oppon.

Vsus & finis conuertuntur, ergo otiose hic locus ab vsu traditur, cum sub loco a fine continetur.

Resp.

Vsus comparationem rei in vsu existentis, finis intentionem rei agentis respicit. Vt vsus virtutis est vita honesta, finis est ipsa beatitudo: hinc recte Boetius finem intendi, vsum exerceri dixit.

Discrimen inter vsum & finem

An locus a communiter accidentibus recte assignetur?

A communiter accidentibus.

POstremus inter locos internos, est locus communiter accidentium, quæ accidentia hic quidem definiuntur, Res tali inter se colligatæ vinculo, vt aliæ necessario & semper, aliæ fortuito & probabiliter, se inuicem consequantur; necessario vt mortuus est, ergo vixit: fortuito vt comptus est, ergo adulter. Canon huius loci est, si communiter accidentium posterius sit, prius fuisse necesse est, at si prius non fuerit posterius non erit: vt peperit mulier, ergo concepit, concepit, ergo virum agnouit: Non concepit ergo nō peperit; non agnouit virum, ergo non concepit. Ex communiter accidentibus secundi ordinis, ducuntur argumenta, non quidem necessaria sed probabilia duntaxat, vt cometa apparet, ergo sequetur mors principis: formosa est mulier, ergo impudica.

In communiter accidentibus spectantur tria.
- Significatio nominis, quæ est pro omni re alteri cognata & affini.
- Conuexio, quæ est antecedentis & consequentis cohærentia & conspiratio.
- Ratio argumenti duplex.
  - Necessaria, vt incendium est, ergo ignis fuit.
  - Probabilis, vt rufus est, ergo fraudulentus.

Exemplum locorum, ab Ortu, Vsu, & affectu in Rhetorica.

Ab vsu.

A communiter accidentibus.

¶ Quantus sit thesaurus in vita, nemo nouit, qui quid sit mori non intelligit, sed attende, vita non est viuere, sed valere; imo vita est non viuere sed sapienter agere: at quid est hoc ipsum sapienter agere? Disce mori & intelliges. Ah mori malum est, Non est Theophile, non est malum. Nam qui bene vixit, non morietur male.

De locis externis, & primum de oppositis.

An locus ab aduersis recte assignetur?

Repititio ordinis.

Loci interni. Oppositorum diuisio.

Ab aduersis.

ERigit & acuit industriam nostram hoc vnum in studio locorum: quod neque multitudo perturbet, (sunt enim pauca) neque ordinis defectio confundat, (sunt enim accurate digesta, & quasi in certas classes destinata.) Primum enim de insitis & infixis: Tum de concomitantibus naturam: Postremo de assumptis & externis agitur. Horum nempe externorum, alia sunt ab oppositis, seu repugnantibus: Alia a maiore & minore: Alia a proportione & transumptione: Alia denique ab auctoritate seu testimonio. Oppositio, quid & quotuplex sit, satis in fronte postprædicamentorum diximus. Rescissa ergo oppositorum definitione, ad partitionem vento, quæ est, vt oppositorum alia sunt aduersa, alia relata, alia priuantia, alia contradicentia. Hinc ordinem in singulorum locis tractandis obseruabo. Primum igitur ab aduersis, quæ sunt absoluta, sic ratiocinamur. Sapiens non est inuidus: ergo stultus est malitiosus. Generalis maxima loci est, quod posito vno aduerso, & remoueatur alterum, vt iustus est Aristides, ergo non est iniustus. Iterum, quidquid vt adiunctum de vno repugnantium dicitur de altero negatur, vt iustus agit prudenter, ergo iniustus temere & inconsiderate. Vide de hoc plura in distinctione.

Immediata in quibus disseritur ab affirmatione vnius, ad negationem alterius, semper & necessario, vt est sanus

Aduersorum alia sunt,
- sanus Socrates, ergo non est ægrotus: est fidelis Abrahahamus, ergo non est incredulus.
- Mediata in quibus vt recte sequatur argumentum, spectantur
  - Relatio ad idem subiectum capax vtriusque.
  - Remotio mediorum, vt hoc corpus non est album, nec aliquo medio colore tinctum: ergo est nigrum.

An locus a Relatis bene statuatur?

A Relatis

VT idem pharmacum frequentius sumere, nauseam: ita rem actam sæpius agere, tædium parit. Nausea naturam, tædium artem terit. Cum ergo multa de relatis antea bis egerim molestus nunc essem, si multa dicerem. Sic igitur est inceptus, sic est finitus locus, nempe quod posito vno relatorũ, ponatur alterum: sublato etiam vno, tollatur alterum. Vt pater est, ergo filius est, Pater non est, ergo filius non est.

In Relatis spectantur duo:
- Interna comparatio & sic locus a relatis nominatur, & non a relatiue oppositis, in quo loco sequitur ratio, ab esse vnius, ad esse alterius.
- Oppositio terminorum, in sumpto aliquo, & sic nominatur locus, a relatiue oppositis. Cuius maxima est, quod vno relatiue oppositorum posito in subiecto, alterum negetur, vt Socrates est pater Platonis, ergo Socrates non est filius eiusdem.

An locus a Priuantibus recte assignetur?

A priuatiuis

PRIVANTIVM triplex distinctio olim tradita, & tractata memoriam refricat, & maximam loci ad viuum resecat. Nam quamuis in omni priuatione, sit quædam inuentio: ab omni tamen priuatione, firma & stabilis non petitur conclusio. Locus sic exponitur, si vnum priuantium non insit subiecto susceptibili, tempore a natura definito, necesse est alterum inesse, vt non loquitur puer ad præscriptum tempus naturæ, ergo est mutus. Non florescit planta in vere, ergo est sterilis.

Huius loci maxima duplex,
- Generalis omnium oppositorum, ab affirmatione vnius ad negationem alterius, vt viuit, ergo non est mortuus, & sic tenet locus in omnibus priuantibus.
- Propria quæ superius traditur, ad quam requiruntur existentia subiecti capacis, & instantia definiti temporis, quæ a natura præfinitur, vt nonus dies in quo catulus cernit, ante quem diem cæcus non dicitur.

An locus a contradicentibus & disparatis recte assignetur?

Contradicentium nullum medium.

TRITVM id est, contradicentia in omnibus dissentire: nam siue in propositionibus: siue in rebus sit contradictio, nulla tamen est eorum, (quæ in hoc genere reponuntur) conspiratio. Nam si vnum sit ens, alterum non ens: si vnum finitum, alterum infinitum, si vnum verum, alterum falsum erit. Nullus est eorum nexus: nullum medium. Locus Topicus ab istorum proprietate fluxit, quæ est, si vnum contradicentium sit verum, alterum erit falsum: vt resurrexisse Christum est verum, ergo non resurrexisse Christum est falsum: si subiectum eorum spectes talis formatur maxima.

Locus a disparatis.

Posito vno contradicentium in aliquo subiecto, ab eodem remouetur alterum; Vt Christus est salus ergo Christus non salus dici non potest. Præter hæc quatuor loca a repugnantibus, alius emergit, nempe ab illis (quæ vulgo disparata dicuntur) veruntamen quoniam (teste Philosopho) sub aduersis hæc quodammodo continentur, non dissimilem in his quam in illis locum constituimus. Disparata sunt omnia naturæ viribus diuersa & dissociata, vt homo, bellua. Horum regula est, de quocunque vnum dicitur, ab eodem remoueri alterum, vt vrtica est planta, ergo non est animal. Sed attende, quod hæc regula conueniat accidentibus solum in abstracto: nam non sequitur, hoc est album, ergo non est quantum. Sed recte sequitur, hoc est albedo, ergo non est quantitas.

Contradictio est duplex:
- Complexa, in propositionibus, in qua arguitur semper per attributa hæc, verum, falsum.
- Incomplexa, in rebus in qua arguitur, ab esse vnius, ad non esse alterius: vt homo est animal, ergo non est nō animal.

In loco disparatorum obseruantur duo, vt sint
- Abstracta, quare non sequitur lac est album, ergo non est dulce, etsi album, & dulce sint disparia.
- Attributa non subiecta: quare non sequitur, homo est animal, ergo leo non est animal; hic enim subijciuntur, non prędicantur.

Breue exemplum locorum ab oppositis.

1. Ab aduersis 2. A relatis. 3. A priuantibus & disparatis.

1 Indignus est rebus secundis, qui ferre non potest aduersa: aspera patientem prospera insolentem faciunt. 2 Dominus hoc iussit; Tolle crucem. Est ergo quod seruus audiat & sequatur, 3 At crucem tollere est vitam perdere, erras: nam est inuenire Quid? an mortuus viuit? Recte Epictetus natura me docuit in morte sperare. Naturæ Auctor me iussit, credam & viuam.

An locus a maiore recte assignetur?

Locus a maiore.

NON solum ab oppositis & repugnantibus, sed etiam a cognatis, & quodammodo inter se consentientibus petuntur loca inuentionis; recte igitur hæc loca a comparatione, illis ab oppositione succedunt, vt mutuo quasi conflictu vtriusque, lux quædam tanquam flamma ex ferro eliciatur. Comparatio de qua hic agitur, est tripartita, Maiorum, Minorum & Parium. Maiora sunt hoc loco, quæ suæ conjunctionis cum aliquo maiorem vim ac probabilitatem habent, quam alia quæ etiam cum eodem conferuntur. Sic maius quiddam sol est quam luna respectu luminis, si vtrunque ad terram illustrandam comparetur. Vnde talis formatur inuentio, Si id, quod magis videtur conuenire, non conueniat, nec id quod videtur minus conuenire conueniet. Vt omnino mentiri non licet, ergo dissimulare non licet. Exercitus non poterat Troiam defendere, ergo nec Æneas potuisset; Notandū, quod locus a maiore teneat solum negatiue.

Maiora quæ sunt.

Arguitur a loco maioris comparando
- Duo subiecta ad vnum attributum, vt Duci non licet violare ius belli, ergo militi non licet.
- Duo attributa ad vnum subiectum, vt rex non potest concutere arcem, ergo non potest expugnare vrbem.
- Duo subiecta ad duo prædicata vt vir fortis non potest sustinere pondus centum librarum, ergo puer non potest gestare saxum mille ponderum.

Oppon,

Oppon.

Non sequitur a maiore: Deus non potest peccare, ergo nec homo potest.

Resp.

Deo non conuenit posse peccare, peccare enim est deficientis, non potentis, nedum omnipotentis Dei, qui est in se omnis perfectio totaque bonorum quasi sphæra & accumulatio.

Deus non potest peccare.

An locus a minore recte assignetur?

A Minori.

ERRATVM est sæpe mea quidem opinione in hoc loco a minore: sunt enim aliquot interpretes, qui impense & pertinaciter defendunt, tam aientia quam negantia argumenta, ab hoc loco posse decerpi, cum disertis tamen verbis dicat Philosophus, a maiore ad minus, solum negatiue: a minore autem ad maius solum affirmatiue disputatum iri. Sed adducis exempla, quibus probare contendis a maiore posse affirmanter disputari. Quæ sunt illa? hæc si placet, sol illustrat totum mundum, ergo splendore suo potest illustrare partem. Sampson superauit exercitum ergo potest superare vnum pusillum hominem. Quid? an hæc a maiore petuntur argumenta? An dubitas? Nonne totus mundus res maior parte? nonne exercitus res maior vno pusillo homine tibi videtur? Videtur sane. Non tamen a maiore hæc argumenta deduci puto. Non putas? Quid ita? attende, quod in Dialectica non magnitudinem rerum, sed vim, pondus, & probabilitatem argumentorum spectemus. Hinc concedo tibi exempla hæc tua, a maiore re quidem, sed a minore probabilitate, (quam solum locis inuentionis venamur) deriuari. Nam sic inuerto: Minus probabile est, solem vniuersum mundum illustrare quam partem. Iterum minus verisimile est, Sampsonem posse superare exercitum quam pusillum hominem. Vides ergo a minore (quia affirmant) non a maiore (quia non negant) hæc tua exempla esse argumenta. Est igitur hoc affirmans axioma huic loco accommodatissimum. Nimirum, si id quod minus videtur conuenire conueniat, & id quod magis videtur conuenire conueniet. Vt lex permittit in Sabbatis seruare bouem, ergo permittit seruare hominem

Non dignitas rei, sed firmitas rationis a Dialectico ponderatur.

In loco a minore considerari debent duo,
- Dignitas rei, & sic apud oratores omnia argumenta a re maiore diducta, in loco a maiore: omnia a re minori in loco etiam a minori ponuntur. Ratio est, quia oratores magis rerum dignitatem, quam argumentorum necessitatem spectant.
- Probabilis, seu necessitas argumenti, & sic sola negantia a maiore, & affirmantia a minore ducuntur.

An a pari & simili vnus locus constituatur?

DISIVNGVNT maxime coniungenda, qui paria & cognata a similibus loco separant. Nam quamuis nomen paris latius diffundatur, vtrumque tamen sub eodem loco rectissime coercetur. Omne enim simile par est. Monendi sunt qui hoc loco disserunt, paria & similia, vt Euripum in mille vias deflecti, raroque aut nunquam ad veritatis anchoram defigi. Est splendor in simili, non est robur. Pulchre enim docet, non demonstrat. Canon huius loci est, quod in comparatione parium & similium idem sit iudicium. Parium enim & similium, par similisque est ratio. Exempla loci sunt aientia, aut negantia. Aientia hoc modo, hippos

Locus a pari & simili. Omne simile par est.
Simile pulchre docet, nō demonstrat.

lux solis ostendit oculos, ergo vox sapientis vulnerat stultorum animos. Negãtia, vt, Medicina optima semper non sanat, ergo eloquentia diuina semper non persuadet.

Vt teneant argumenta in loco a simili & pari obseruari debent:
- Proportio eorum quæ comparantur, vt inter aciem oculi in corpore, & lumen intellectus in animo.
- Relatio vtriusque ad aliquid aliud in quo conspirare possit, vt oculus & auris in potentia sentiendi.
- Conclusio in eodem simili aut pari, nam simile non est idem per omnia.

Vsus Rhetoricus locorum a:
- Maiore.
- Minore.
- Pari.

Vsus a maiore,
A minore probabilitate.

Audito nomine Martyrij, statim expallescit timidus: non audet cum Socrate cicutam bibere, quanto minus auderet, cum Laurentio, in flammis dicere, verte hoc latus, verte tyranne, satis assatum est, deuora. Aculeos, furcas, præcipititia, enses cruces, sustinuerunt patres, multo ergo facilius, sitim, in ediam, nuditatem, frigus sustinuissent. Sed vt Christus caput Ecclesiæ præiuit exemplo: ita par fuit, æquo hæc paterentur animo & proculdubio passi sunt, nam audi Prudentium.

Tormenta, carcer, vngula,
Stridensque flammis lamina,
Atque pœnarum vltima,
Mors: Christianis ludus est.

An locus a dissimili recte statuatur?

Dissimile.

EX his iam quæ dicta sunt de pari & simili haud obscurum esse debet, quid sit dissimile. Eadem enim est contrariorum disciplina. Dissimile ergo est quod dispari ratione cum altero in aliquo tertio comparatur, vt anima hominis, cum anima bruti in immortalitate collata. Locus sic se habet; dissimilium dissimilis est ratio. Exemplum est: vt, Anima belluæ dispar est ab anima hominis, sed anima belluæ est mortalis, ergo anima hominis est immortalis. Aduertendum est, crebriorem vsum esse similium & dissimilium apud Rhetores, quam apud Philosophos. Illi enim radios orationis, hi neruos inuentionis quærunt. Profuerit tamen ex optimis authoribus collecta similia in tabulis memoriæ scibere: nam vt miram docendi facilitatem; ita mirificam permouendi vim, & dignitatem, in omni causa pollicentur. Distinctio huius loci legitur in vltima proprietate Qualitatis.

Similium & dissimilium crebrior vsus apud Rhetores quam apud Philosophos.

An locus a proportione bene statuatur?

NEC Arithmetici in numeris, nec Geometræ in figuris rerum, attentius proportionem obseruant, quam Dialectici concentum, & quasi harmoniam Rationum, quæ ad cognata & affinia probanda destinantur. Recte igitur Aristoteles inter alia multa, quasi flumina inuentionis, vnum riuulum a proportione deduxerit. Quæ proportio non est dimensionis, sed rationis: non rei, sed argumenti. Definitur enim similium & inter se cognatorum apta & quasi Geometrica comparatio; comparatio (inquam) non similitudo, vt discrimen inter hunc locum a proportione, & illum a similitudine liquido intelligas. Nam proportio æqualitatem similitudo qualitatem: proportio multiplicem circumstantiam, similitudo inhærentiam rerum denotat: est proportio vbi paria paribus respondent

Propositio dialectica.
Differentia proportionis & similitudinis.

pondent, est similitudo, vbi comparata in omnibus non conueniunt: Est proportio a qua aliquando demonstratio: est similitudo, a qua sola opinio nascitur. Loci a proportione maxima est; quod idem sit iudicium eorum, quæ cadunt in proportionem, vt, quemadmodum sunt in animo tres potentiæ, intellectus, voluntas, memoria, quæ solum nomine & officio differunt, non natura: Ita in beatissima triade, sunt tres personæ, pater, filius, & spiritus sanctus, qui solum nomine officioque non essentia inter se distinguuntur. Et vt Philosophia suadet credere tres illas potentias vnum esse excellentissimum animum; ita fines iubet nos tenere tres illas personas vnum esse omnipotentem Deum. Si iam ab isthac proportione sic arguas, Tres potentiæ in animo vnus sunt animus, ergo tres personæ in Trinitate, sunt vnus Deus, quis nisi iniquus æstimator rerum possit reprehendere.

Trinitas probatur a loco proportionis.

Proportio duplex.
- Simplex de qua diximus in explicando.
- Composita quæ vulgo transmutata proportio dicitur quæ cernitur aut in
  - Magnitudine varijs modis inflexa, vt quemadmodum se habent 8. ad 4. ita se habent 12. ad 6. sed 8. superant 4. proportione dupla, ergo 12. simili proportione 6. superare constat.
  - Magnitudine rerum, vt sicut se habet ignis ad aerem, ita se habet aqua ad terram, sed ignis decupla proportione magnitudinis & leuitatis superat aerem, ergo aqua decupla proportione magnitudinis & leuitatis superat terram.

Faber. Stapul.

An locus ab authoritate recte assignetur?

IMPRVDENS es si contemnas, impudens si reiicias maiorum authoritatem: nam quamuis non placet hoc titum (ipse dixit) placeret tamen illud (ipse suasit) Sunt tres personæ, nega si audeas. Est vnus Deus: proba si possis. Deficit ratio, recte vt doceas: iubet authoritas tamen vt credas. Porro cum duplex sit testimonium, humanum & diuinum, scire debemus, quod humanum sæpe vacillet: diuinum autem semper inconcussum manet. Sed attende: humanum aut in vnius iudicio, aut in multorum consensu ponitur non est, quod illi repugnes sine nota superbiæ: non est quod huic contradicas, sine nota infamiæ. Plus enim valet multorum iudicium, quam vnius ingenium. Locus qui ex humana authoritate petitur, hanc habet maximam: nimirum, non omnino ei contradicendum esse, quod vel omnes, vel plurimi, vel saltem illi, quorum perspecta est sapientia, ambabus (vt aiunt) manibus tenuerunt; Ratio est, quia vnicuique in sua arte perito credere oportet Hinc in exemplo sequitur, tria esse principia rerum naturalium, quia ipse Arist. Dixit, aut saltem, quia idipsum multi Philosophi cum illo docuerunt.

Authoritas diuina & humana.

Authoritas est iudicium sapientis, in sua scientia.

Authoritas duplex.
- Diuina quæ est æterna.
- Humana quæ cõsistit aut in
  - Vnius sapientis iudicio, quod fluctuare potest, non est tamen neganda hæc authoritas pro cuiusque arbitrio, sed cum quadam reuerentia personæ propter dignitatem, & cum firma refutatione erroris propter veritatem.
  - Multorum consensu a quo semper affirmatiue, non negatiue, probabile argumentum ducitur.

Authoritas quid est?

An locus a Metaphora sit Dialecticus?

Duplex vsus translationis in Dialectica

TRANSLATIO, pro lumine orationis apud Rhetores, sed pro columne inuentionis apud Philosophos accipitur; illic motum, hic fidem: illic expolitionem verbi, hic connexionem argumenti: illic denique venustatem, hic solam necessitatem respicit. Locus a translatione, sumitur duobus modis, aut quoad mutationem significationis in cognatam & similem, aut quoad expositionem nominis per aliam vocem magis perspicuam. Primo modo acceptus hanc habet maximam. Quicquid conuenit alicui sub nomine Metaphorico, illud etiam conueniet sub nomine proprio: vt Christus leo est, ergo rex: agnus ab æterno occisus, ergo sacrificium. Metaphorice enim leo respectu diuinitatis, metaphorice agnus respectu humanitatis dicitur. Posteriori vero modo si sumatur locus, vt nimirum est in expositione nominis constitutus, alio axiomate illustratur, hoc scilicet. Quod quicquid alicui conueniat sub nomine magis noto, conueniet eidem sub nomine minus noto; Vt non est sapientis dicere, viuam, ergo non est Philosophi.

Locus expositionis sub metaphora continetur.

Translatio est, vel { Mutatio significationis in cognatam, & sic ab hoc loco colligitur tantum probabile argumentum. / Expositio nominis, & sic ab hoc loco elicitur argumentum necessarium. }

Oppon.

Locus ab expositione nominis, non differt a loco interpretationis, ergo otiose hic traditur.

Resp.

Locus expositionis solam dictionem, locus vero notationis siue interpretationis orationem respicit: locus expositionis est externus, & non conuertitur: locus interpretationis est internus, & reciprocatur.

DE LOCIS MEDIIS.

An locus a coniugatis recte assignetur?

Loca media. 1. A coniugatis.
Quæ sint loca media.

PRÆSCIENTIA extremorum semper ad cognitionem mediorum requiritur. Recte igitur antecedentem cognitionem locorum insitorum & assumptorum, hæc tractatio mediorum sequitur. Media loca sunt (vt ante dixi) quæ inter insita & assumpta ita pendent, vt partim ex illis, partim ex his communicare videantur. Horum primus desumptus est a coniugatis, quæ non re, sed ratione a denominatis differunt. Hæc enim respectu prædicationis illa respectu argumentationis definiuntur. Quippe denominatiua sunt, quæ orta ab vno, varie commutantur in fine: Coniugata vero sunt, quæ eodem modo orta & commutata, nexum argumentationis intuentur. Hinc dicuntur vera eiusdem generis, quæ sub eodem quasi iugo significationis, adeoque sub eadem lege inuentionis cohabitant, ita vt quicquid in vnum cadat, in alterum cadat; imo etiam cuicunque vnum eorum conuenit, vel non conuenit, reliqua etiam conuenient aut non conuenient necessario. Exempli causa; sapientia laudanda est, ergo sapiens laudandus est; Nero non est iustus, ergo iustitiam non habet. Sunt aliquot interpretes, qui alium locum a casibus distinctum ab hoc, constituunt quibus suum ipsorum iudicium relinquo. Mea tamen sic est opinio, quod recte sub vno eodemque loco possit comprehendi. Casus enim nihil aliud est, quam nexus & vinculum eorum, quæ coniugantur, quippe (secundum aliquos) hinc casus dicitur quia abstracta & concreta vi argumentationis in illum cadunt, & termi-

Coniugata quo modo differunt a denominatiuis. Locus a casibus idem cum loco a coniugatis. Casus

nantur

nantur; si ergo casus sit pars coniugatorum, si eandem penitus naturam cum illis habeat, si se quatur illa vi argumentationis, si itidem illa sequantur casum, sequitur recte, meo iudicio, quod neque loco differentiæ, neque loco maximæ, casus a coniugatis separetur.

Cautiones in loc coniugatorum traduntur, vt sint:
- Vera concreta & abstracta in prædicamentis accidentium, quare non sequitur, homo est magnus ergo humanitas est magnitudo. Homo enim & humanitas non sunt vera coniugata.
- Prædicatio per se & non per accidens, quare non sequitur, album est dulce, ergo albedo est dulcedo.
- Ad idem semper relatio, quare non sequitur omnis scientia est bona, ergo omnis scien est bonus: iterum, qui iuste agit est iustus, ergo qui iustum agit est iustus, cum per iuste agere habitum, per iustum agere effectum intelligas.

Oppon.

Abstractum vt iustitia est forma cõcreti, id est iusti, ergo hic locus potius internus, quam medius dicitur.

Resp.

Abstractum consideratur bifariam,
- *Vt det esse concreto, & sic est formalis causa concreti, & locus hic non differt a loco formæ.*
- *Vt partim conueniat in significatione primaria, partim vero differat, nimirum in significatione minus primaria, & sic est hic locus medius non internus. Ponatur exemplum iusti, quod primario significat qualitatem cum iustitia, minus primario subiectum, quod ipsum abstractum non significat.*

Oppon.

Casus vnde dicitur.

Casus secundum communem opinionem interpretum, dicitur a cadendo, quia a cõcreto & abstracto deriuatur, & cadit. ergo male dicitur casus in explicatione huius loci, quia reliqua vi argumentationis in illum cadunt & terminantur.

Resp.

In casu spectantur duo
1. *Deriuatio, & sic a primario abstracto deducitur.*
2. *Significatio actionis & argumentationis, & sic concreta & abstracta in illo quasi connectuntur: nam abstractum accidens primarium, vt iustitiam, concretum subiectum vt Aristidem, casus nexum vtriusque significat, vt iuste.*

An locus a diuisione recte statuatur?

A diuisione.

A Bunde in ipso vestibulo nostrarum lucubrationum dictum fuit, quid sit diuisio, quæ eius partes, quot species, quod denique leges & vsus. Restat iam ergo, vt solum eiusdem locum consideremus, qui e it eo facilior, quo est diuisio ipsa, in omni causa propemodum, frequentior. Prima maxima loci est, nam plures habet, quod affirmationem diuisi, sequatur affirmatio alicuius membrorum proxime diuidentium: vt quia animal affirmatur de Socrate: de eodem dicetur aut homo, aut bellua. Secunda est quod ex negatione diuisi sequatur negatio omnium membrorum: vt quoniam negatur animal de lapide, homo & bellua etiam negantur. Tertia est, quod posito vno membrorum diuidentium in aliquo subiecto, remoueantur ab eodem reliqua: vt quoniam homo est in Socrate, bellua remouetur a Socrate. Agnosco a multis sub hoc loco, diuisionem contradicentium comprehendi, vt res est, aut non est: sed

quoniam eandem scopulis Sophistarum subiectam esse video, eiusdem tractationem hic lubens prætermitto.

Omnis diuisio est aut per
- Negationem, vt Plato est homo aut non est, de hac in reprehensione Sophistarum agetur.
- Affirmationem quæ est aut
  - Per se & hæc est aut
    - Generis in species.
    - Generis in differentias.
    - Totius in partes.
    - Vocis in significata.
  - Per accidens, & hæc est
    - Subiecti in accidentia.
    - Accidentis in subiecta.
    - Accidentium in accidentia.

Cautiones diuisionis.

Cautiones loci a diuisione sunt
- Vt sit vera membrorum oppositio, quare non sequitur, est Plato liberalis aut fortis: sed non est fortis, ergo est liberalis.
- Vt sit diuisio in rebus, non in intentionibus, quare non sequitur, animal est genus, ergo non est species.
- Vt non sit contradictio membrorum quare non sequitur, Plato est, aut non est, sed est, ergo non est.
- Vt diuisum non sumatur vniuersaliter, quare non sequitur, omne animal est rationale aut irrationale, sed omne animal non est irrationale, ergo omne animal est rationale.

Loci a comparationibus diuersis.

Quæ hactenus enumerata sunt loca, primaria esse videntur, quæ apud Aristotelem reperiuntur: solent tamen ex eodem Aristotele alia quædam addi, quorum adhuc in præcedentibus non est facta mentio.

1. Horum primus est a gradu positiuo ad comparatiuum, & superlatiuum: cuius maxima est quod a gradu positiuo, ad comparatiuum & superlatiuum petatur argumentum: vt quod bonum est, recte diligitur, ergo quod melius est, vehementius diligeretur, ergo quod optimum est, summo amore est prosequendum. Negatiue hoc modo. Aristippus non fuit astutus, ergo non fuit astutior Aristoteles.

2. Alter locus est a gradu comparatiuo, ad positiuum, sub quo & locum a magis ad simpliciter comprehendo. Maxima hæc esset: De quo comparatiuus proprie captus vere dicitur, de eo positiuus dicetur necessario, vt mel dulcius est lacte, ergo mel dulce est.

3. Tertius est a superlatiuo ad positiuum. Maxima est, quod gradus summus primum mediumque contineat: Exempli causa: quod est turpissimum, est maxime fugiendum ergo quod est turpe est fugiendum.

Cautio.

„Cautio in his locis, vt ex propositionibus per se, solum argumenta petamus. Nam in contingentibus non cohærent: non enim sequitur: qui sciens est, iustus est, ergo magis sciens est iustior, ergo maxime sciens est iustissimus.

Agnosco apud veteres sexentos alios locos in campo inuentionis, non aliter quam carduos & spinas, in horto neglecto inseri. Vastum locorum Oceanum, & nimis tempestuosum, imo infinitis scopulis Sophistarum obiectum dederant. Sed ne in illos sine ratione intonare videar, nomina

minatim quædam istorum loca hic solum prælibabo. Proponunt imprimis loca a magis amplo & minus amplo: a magis restricto & minus restricto: a suppositione simplici, & suppositione composita: a propositione confusa, & propositione personali: a signo externo, & a signo interno. His addunt loca a termino vniuersali, & singulari: ab æquiuoco intento & non intento: a voce prolata, & concepta. Sed quid nugas ago? hæc omnia sane potius sophismata quam flumina inuentionis esse puto. At ais esse apud Rodulphum, & alios neotericos interpretes alia multa loca intacta adhuc, vt illa ab adiunctis. A connexis. A contingentibus. A destinatis. A nominibus rerum. Ab applicatis. A pronuntiatis. Fateor equidem hæc omnia esse apud Rodolphum, sed ita tamen, vt recte ad loca superius tractata a nobis reuocentur omnia. Noua nomina sunt, non noua loca. Quid enim aliud sunt adiuncta, quam effecta rerum? Quid connexa? quam paria & consequentia. Quid cotingentia, quam fortuita? Quid destinata, quam fines? Quid nomina & applicata, quam interpretationes, & adiacentia? Quid denique pronuntiata, quam ipsa attributa? Hic ergo riuulos inuentionis claudimus: & locorum Dialecticorum tractationi colophonem addimus. Alia enim, quę sequuntur loca, nomen ab arte (in qua materiam habent sortiuntur.

Loca superflua & magis Sophistarum quam Dialecticorũ

Loca quadã Rodolphi, quæ prioribus locis recte applicantur,

An sint plura loca media, quam ea quæ traduntur? & quæ sint.

NIhil antiquius apud me esse velim, quam meo ipsius ingenio diffidere: aliorumque in præceptis tradendis insistere vestigiis. Verum hic anceps, dubiusque animi hæreo, quippe de numero, vi, & ordine locorum mediorum mirifice distractos interpretes esse video. Alij enim nulla: Alij tria tantum: Alij permulta statuerunt. Relinquo quemlibet suo arbitrio: vnum vel alterum addam, quæ ad hanc classem inuentionis, iure referri posse videantur. Horum primus est a subiecto adiacentis. Alter a potentia subiecti. Tertius ab innato habitu, & actu naturæ: Hæc tria recte media nominari possunt: Quia neque omnino substantiam rerum, neque simpliciter affectionem externam significant. Nam subiectum est necessarium adiacenti, & tamẽ foris illud ipsum respicit, vt homo est quiddam necessariũ seruo, quia seruus est homo: verum vt domino confertur seruus est (teste Philosopho) quiddam fortuitum & aduentitium illi. Similiter de prima potentia, & innato habitu rerum dicendum est: nam quamuis extrinsecus subiectum intuentur, non minus tamen necessariæ conclusiones ab illis, quam ab ipsis substantijs hauriuntur. Porro Philosophus ipse primas potentias, habitusque rerum sæpe substantias nominat: & certe quamuis non sint absolute, inchoate tamen, & ex parte sic posse appellari censeo. Si ergo partim substantiæ sint, partim non sint, loca quæ ab illis ducuntur, media rectissime sunt nominanda.

Schola Veneta nulla posuit. Faber tria statuit. Scotus multa assignauit. Alij tres medij loci prioribus addẽdi

Capite de relatis homo quiddam aduentitium seruo dicitur.

An locus a subiecto adiacentis recte assignetur?

A subiecto.

ROdolphus subiectum, adiacens, & actum circa substantiam versari asserit. Intelligit (vt opinor) vir doctus, ita hæc tria respicere substantiam, vt quodam respectu necessaria, quodam fortuita & contingentia dicantur: aliter profecto (nisi meus me fallit animus) nunquam docuisset prudentiam esse ex natura prudentis hominis, quamuis sit accidens homini. Idipsum docere videtur Aristoteles: cum dicat motum

Subiectum duplex.

esse ex natura substantiæ mobilis, quamuis sit accidens corporis. Aliud est subiectum simplex, vt homo: aliud coniunctum, vt homo prudens. Multa sunt accidentia simplicia, quæ sunt quodammodo insita, & infixa coniuncto. Sed quorsum hæc? vt intelligas in primo hoc loco a subiecto, nomen subiecti proprie non communiter accipi pro substantia, aliquo germano accidente vestita: vnde emergit maxima, quod inter subiectum & adiacens sit necessaria argumenti connexio, vt si modo sit actus calfaciendi, erit ignis calidus & ex aduerso, si sit ignis calidus erit actus calfaciendi necessario. Ratio est quia subiectum & proprium adiacens vi quadam naturæ coniunguntur.

Subiectum duplex, aut
- Simplex, vel
  - Quod subjicitur prædicanti & inhærenti attributo, sic homo est subiectum animalis & scientiæ, & sic in hoc sensu antea tractatur.
  - Quod subjicitur vi naturæ alicui agenti, sic sensus est subiectum coloris, passum actionis: & sic intelligitur a quibusdam hoc in loco.
- Compositum vel
  - Natura per se ex principijs & partibus, quod definitur a Philosophis.
  - Per accidens quod est nihil aliud quam substantia cohærens cum suo adiacente vel actu, vt ignis cum calore, & calfactione, & sic proprie hoc loco sumitur.

Oppon.

Multæ sunt aliæ significationes subiecti, vt attributionis, & aggregationis, &c. Ergo nimis stricte hic distinguitur.

Resp.

Aliæ significationes non ad vim inuentionis, sed ad vim constitutionis & ordinis spectant

Oppon.

Cap. 31. lib. 1.

Rodolphus definit subiectum generaliter respectu omnis accidentis, ergo male hic ad subiectum coniunctum restringitur.

Resp.

Significatio illa generalis antea in locis externis satis discutitur: ne ergo nunc actum ageretur: ad hanc significationem antea non discussam locum restrinxi.

An locus a potentia subiecti habituque naturæ recte assignetur?

QVanquam sub nomine adiacentis, omne accidens, actumque & potentiam rei coercet Rodolphus: tamen quia satis constat de his (vt sunt assumpta) in externis locis: operæ pretium erit iam distinguere, vt hæc ab illis separentur: omnia enim sub vno loco comprehendere esset nimis difficile & confusum, Quare alter a potentia subiecti: alter ab habitu naturæ nominetur. Maxima prioris loci est, quod cuiuis subiecto insita sit naturalis potentia, a qua ad subiectum, firmissimum, tam affirmans, quam negans petitur argumentum. Hæc potentia sæpe aperta est, vt vis lucendi in sole, sæpe occulta, vt vis sistendi sanguinem in hæmatite, vis attrahendi ferrum in magnete. Maxima postremi loci est, quod in quouis subiecto ex naturali potentia fluat actus quidam naturalis (qui habitus naturæ dicitur) a quo similiter ad subiectum, & ex aduerso

Locus a potentia subiecti.

Locus a naturæ habitu.

aduerso probabile ducitur argumentum. Exempla desiderari non possunt. Ex potentia lucendi in sole nascitur illuminatio: Ex potentia fluendi in aqua humectatio: quæ duo actus, habitusque naturæ in suis subiectis recte dicuntur. In his est perpetuus ordo constitutionis, & proinde indissolubilis nexus & vinculum rationis.

Distinctiones, actus, & potentiæ in categorijs qualitatis & actionis reperiuntur.

Opponens.

Aristoteles, & Rodolphus nullam horum locorum mentionem fecerunt, ergo minus recte adijciuntur in hoc tractatu.

Resp.

Argumentum ab authoritate negatiue ductum non valet. Cæterum respondeo & Aristotelem & Rodolphum tradidisse. Nam aperte Aristoteles a potentia & habitu loca in secundo Topicorum duxit. Rodolphus autem vtrumque sub adiacentibus comprehendit.

An alia loca addenda sint?

IVxta de bonis artibus sunt bene meriti, meo quidem iudicio, & qui rerum multarum copiam in scientias inuexerunt, & qui rationem, & viam, qua artes ipsæ commodius traderentur inuenerunt. Artes enim non tam in varia supellectile, quam in accurato ordine consistunt. Vtrumque iam præstare contendimus, copiam vt accumulate, ordinem vt directe disputemus. Et quoniam hæc scientia inuentionis, ad omnes se extendit artes, Maximas, seu axiomata quædam, a primarijs partibus Philosophiæ decerpemus, eademque in formam locorum redigemus. Hoc eo facimus consilio, vt studiosi iuuenes, dexterius eas artes tractent, in quibus a teneris (vt aiunt) vnguiculis sæpe, ac multum exercentur. Ordo erit, vt primum moralia, tum naturalia loca assignentur; non omnia, sed ea quæ in assiduis disputationibus, nostris vsibus maxime inseruiunt. *Artes non valent sine ordine.*

Alia loca addenda sunt propter { Imitationem Philosophorum, qui illud fecerunt, vt Aristoteles in tertio Topicorum. / Electionem axiomatum, quæ non solum ad Dialecticam, sed etiam ad omnem scientiam diffunditur. / Copiam inuentionis, ad quam locupletandam, omnes omnium scientiarum propriæ scientiæ spectant. } *Cur addantur loca.*

Loca quæ tractantur sunt aut { Moralia, & hæc sunt, aut de { Bono. / Vtili. / Iucundo. } / Naturalia, quæ respiciunt, aut { Constitutionem, & essentiam. / Affectionem & existentiam rerum. } } *Loca moralia & naturalia.*

An loca a bono morali recte assignentur?

QVoniam in omnibus pene Academijs, ante vllum susceptum gradum, duas plerumque Philosophiæ partes salutare solemus, nempe eam quæ in viribus naturæ, quæque in moribus animi posita est, operæpretium esse putaui, vtriusque loca, in vna quasi tabula, paucis perstringere, vt axiomata vtriusque artis memoria firmiter tenentes, Theses propositas in vtraque, rectius ad normam rationis collimemus. Incognitis enim rebus, rerumque (de quibus arguitur) locis, & pronuntiatis, cæca & inanis futura esset ingeniorum conflictatio. *Loca a bono morali.*

M

1. *Locus primus a bono vniuersali.*

Sed ad propositum festinat inuentio, quæ primum à bono morali exordietur, idque ad hunc modum, vt primus locus a bono in genere nomen ducat: cuius maxima est, quod omnia vi naturæ, bonum suum appetant. Ratio est, quia nihil non finem, suique perfectionem quærit. Exemplum est, in omni opere, effectuque naturæ, in omni actione voluntatis. Natura enim nihil frustra agit: aliquid semper vt bonum, ipsa voluntas sequitur. Si dicas fucato aliquando bono voluntatem falli, & decipi; Respondeo id morbo animi, non ex natura voluntatis fieri.

Morbo animi, intellectus iudicium obfuscatur.

2. *A summo bono.*

Secundus locus est, A summo bono. Maxima est quod vnus sit vltimus finis rerum agendarum. Ratio, quia aliter inanis esset humanus appetitus, si nullo clauderetur bono. Exemplum est ipsa beatitudo, quæ omnia bona in vnum quasi aceruum colligens, appetitum septis quibusdam (ne sit incertus & infinitus) comprehendit, imo ne sit effrænis & petulans, mirifica quadam virtute regit.

3. *A medio bono.*

Medium bonum instrumentum & principium summi.

Tertius locus a medio bono ducitur. Maxima est: non posse perueniri ad summum, nisi iter instituatur per medium. Ratio est, quia medium bonum, est quodammodo principium, & instrumentum summi. Principium, quia ab eo proficiscitur, instrumentum, quia per illud comparatur. Exemplum est in moralibus virtutibus, per quas, ad arcem beatitudinis, quasi per gradus quosdam ascendimus.

4. *Ab essentia boni.*

Bono nil melius.

Quartus locus ab essentia boni moralis nascitur; cuius maxima est; quod bono nil melius. Ratio est quia in natura sua, omnibus numeris perfectionis absoluitur. Exemplum est prudentia, in qua reliquæ virtutes connectuntur. Si vrgeas vnam virtutem alteram excellere, id non in essentia boni, sed in circumstantia aliqua, (vtpote loci, temporis, communitatis, aut dignitatis) putamus contingere. Idem enim bonum est vnius hominis, & totius ciuitatis in essentia, hoc tamen honorificentius altero, propter multitudinem circumstantiarum, quibus præstat, habetur.

5. *Ab existentia boni.*

Tot maximæ huius loci quot affectiones boni.

Quintus locus est quarto affinis: petitur enim ab existentia boni. Attende hic dilige nter tot esse maximas istius loci, quot sunt circumstantiæ, & affectiones bo ni: vnde Aristoteles in tertio Topicorum hunc locum multifariam diuisit: Cæterum quia sub eadem distinctionis regula continerentur omnia, vnum instar omnium definiemus, cuius generalis maxima est, Quo aliquod bonum est accumulatius, eo melius Ex hac generali propositione aliæ respectu temporis, loci, corporis, fortunæ oriuntur maximæ. Respectu temporis. Quo diuturnius bonum eo melius: Respectu loci, bonum præstantius quod in loco opportunius: Respectu corporis, firmius est bonum, quo bonis naturæ magis confirmatur: respectu fortunæ, splendidius est bonum, quo bonis fortunæ magis perpolitur. Hæc omnia existentiam, non essentiam, affectionem non constitutionem, ornatum non habitum, externam circumstantiam, non internam naturam boni respiciunt. Quod cum in singulis maximis hoc nomen melius aut præstantius ponitur, non de vi naturæ, quæ bonum definit, sed de adiuncto, quod ornatius reddit, intelligitur.

NOTA.

6 *A sufficientia boni.*

Sextus locus a sufficientia boni denominatur. Maxima est, Quod bonum expetendum propter se, cumulatissime sufficiat bonis. Ratio est quia omnia animi moralia bona in huius veluti centrum desinunt, nec non in eodem vt in portu conquiescunt. Exemplum est, aut theorica in contemplatione, aut practica in actione posita beatitudo, qua homo prædi-

prædictus, abiecta spernit, excelsa cogitat, caducis vtitur, diuitiis & æternis fruitur; vti enim medio, frui summo bono ac fine dicimur.

Differentia inter Vti & frui.

7. Ab intentione boni.

Septimus locus est, ab intentione boni propter se expetendi. Maxima est, quod bonum sit primum in intentione, & vltimum in actione: ratio est, Quia bonum in primis intentionem mouet, vt studiose agat: sed postremo actionem claudit; vitamque studiosam perficit. Exemplum est finis cuiusque artis, vt in Rhetorica polite dicere, in Dialectica acute disserere: in Philosophia sapere, in studio virtutis recte viuere. Hos primum quasi scopos ante oculos ponimus, vt rectius vestigia nostra vrgeamus.

8. A proprietate boni. Honor virtutis & fortunæ.

Octauus locus est ab affectione, seu proprietate boni, tam medij quam summi. Maxima est, quod omne medium vi sua bonũ sit laudabile omneque bonum per se vltimum sit honorabile. Ratio, quia laus virtuti, vt proprium, honor felicitati, vt præmium debetur. Exemplum est de patientia Socratis quæ laudabilis: de magnificentia Cæsaris, quæ honorabilis extitit. At notandum est honorem in constantia virtutis, non in leuitate fortunæ positum, hic intelligendum esse; Nam ille constans est, & felici dignus, hic puluis quasi leuis est, pedibus conculcandus.

9. A duplici subiecto boni. 3. Eth. cap. 1. & 4. Voluntas principium & subiectum virtutis.

Nonus locus est a duplici subiecto boni. Cuius maxima est, quod, Omne bonum morale, inchoate in appetitu, absolute in voluntate inest. Ratio, quia in appetitu inchoantur, in voluntate perficiuntur virtutes. Error ergo est in appetitu solo virtutes reponere: Nam tum frustra doceret Philosophus virtutum actiones esse voluntarias, si dicas voluntatem principium esse, non subiectum. Principium esse dico, vt ab ea actiones virtutum oriuntur: subiectum autem, vt in illa ipsarum habitus continentur. Hoc dicere non est absurdum, quia homo suarum actionum & principium, & subiectum dicitur.

10. A subiecto intellectuali. Obiectum moralis virtutis bonum: intellectualis verum. Quinque mentis virtutes.

Decimus locus, subiectum intellectualis boni nobis describit: Cuius talis maxima adhibetur, nimirum, quod omne bonum intellectuale in mente hæreat. Ratio est quia obiectum moralis virtutis est bonum, obiectum vero intellectualis est verum. Illud ad voluntatem, hoc ad intellectum pertinet: nam voluntas bonum vel malum parit, intellectus verum aut falsum discutit. Exemplum est in quinque virtutibus mentis, quæ sunt ars, scientia, prudentia, solertia & sapientia.

11. A dispositione & oppositione boni.

Decimus primus locus dispositionem, oppositionemque boni moralis respicit. Axioma in hoc loco est, quod, Omne bonum morale per se est medium inter duo vitia, quæ vulgo extrema nominantur. Ratio est, vel quia excessu, & defectu, corrumpitur medium: vel quia sapientis est inuenire, inuentumque retinere medium. Exemplum est de fortitudine, inter timorem & audaciam: de beneficentia, inter auaritiam, & profusionem rerum.

12. A modo & actione boni. Tria ad actionem boni necessaria.

Locus duodecimus est a modo & actione boni. Maxima est quod, Omne bonum per se, est voluntarium, vt si non sit voluntarium, non sit omnino bonum. Ratio est, quia actiones virtutum & vitiorum, neque violentæ, neque mixtæ sunt, sed solum voluntariæ. Hinc est quod tria, ad actionem boni requirantur, voluntas vt sponte, scientia vt recte, constantia, vt indefesse agamus. Exemplum est in dextra liberalis, quæ magis in dando, quam in accipiendo cernitur.

13. A comparatione boni cum extremis. Medium minus certat cum extremis quam extremum cum extremo.

Locus decimus tertius est a comparatione boni cum extremis. Maxima est, quod, omne bonum, minus cum vno extremorum certat, quam extremum cum extremo. Ratio est, quia reductio extremi ad extremum, est difficilior, quam extremi ad medium. Exemplum est in oppositis &

Obiectio. extremis fortitudinis: audax enim citius fit fortis, quam meticulosus. Si objicias quod virtus, & vitium in genere boni, & mali differant, vitia autem, quæ sunt extrema, genere conspirent (nam vtrumque est malum) *Solutio.* Respondeo pugnam & difficultatem reductionis, non Dialecticæ oppositionis hîc debere intelligi.

14 *A comparatione boni actiui & speculatiui.* Locus decimus quartus est a comparatione boni actiui & speculatiui. Maxima est, quod, bonum in vera contemplatione positum, longe excellit bonum in actione constitutum. Ratio patet in perfectione subiecti, id est, mentis, in excellentia obiecti, nempe primi motoris, in præstantia medij quo nititur, nimirum sapientiæ; *Subiectum, obiectum, & medium contemplationis.* Nam veræ contemplationis subiectum mens est, obiectum vero primus motor, medium ipsa sapientia, quæ est omnium virtutum diuinissima.

15 *A modo expedite inueniendi medij.* Postremus locorum in generali explicatione boni est, a modo expedite inueniendi medij. Maxima, quod, medium facilius a nobis comparatur, si vitium ad quod sumus a natura procliuiores declinemus. Ratio est, quia præceps naturæ procliuitas ad malum, nos a studio virtutis maxime auocat & remoratur. Exemplum est de temperantia, quam expeditius inuenies, si dulce venenum voluptatis a naturæ visceribus haustum, euomere & extirpare contenderis. *Compendiaria via acquirendæ virtutis.* Multi huic, multi quidem illi, omnes profecto alicui, venefico afflatu naturæ infecti, mancipamur sceleri. Si illud fugere, si hoc euellere conemur, compendiaria statim patebit via salutandi virtutem.

Vtilis obseruatio de locis singularum virtutum.

Loca ab officiis singularum virtutum desumpta. ETsi loca quædam nominatim ab officijs singularum virtutum duci possunt, ne tamen commentarios potius in Ethica, quam in Topica Aristotelis videamur scribere, placet multa in vnum quasi cumulum coacervare. Sic tamen ordine digerentur omnia, vt locis distincte insinuatis certiorem differendi viam teneamus. Sed ne longius quam par est abeam, *Locus primus ab officio temperantiæ.* primum ab officio temperantiæ ducendum esse puto, quippe hæc, voluptatis, quæ nobiscum nascitur, habena & moderatrix dicitur. Canon huius loci est, quod veræ temperantiæ sit & gustum & tactum ab illicitis malis refrænare. Ratio est, Quia leges præscribit conseruandæ naturæ, ne blandis illecebris voluptatis corrupta, & varijs delicijs ciborum saginata, quasi ictu aspidis, somniculosa pereat.

Huic loco annectitur locus continentiæ, quæ tantum modo, non natura a temperantia differt. Nam vt semel ad instar omnium, Lectorem de hac re admoneam; Temperantiam a continentia, fortitudinem a magnanimitate, liberalitatem a magnificentia, comitatem ab amicitia & mansuetudine, non re, sed ratione differre existimo. Quid enim aliud est magnificentia, quam, teste Philosopho, magna liberalitas? Quid magnanimitas, quam excelsa animi magnitudo? Si ergo plurium virtutum officia, sub vno loco perstringam, non est, quod mirum cuiquam videatur.

2. *Ab officio fortitudinis & magnanimitatis.* Alter locus est de officio fortitudinis & magnanimitatis, a quo sic recte disputatur. Fortis est, ergo nullum periculum virtutis causa susceptum, timet: magnanimus est, ergo furentes animi affectus supprimit: frustra enim foris agit bellum, qui intus alit incendium. Recte Poeta, Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit Mœnia.

3 *A liberalita* Alius locus succedit de officio liberalitatis, & magnificentiæ, vnde talia argumenta petuntur. Liberalis est, ergo decorum tenet in dando;

Magni-

Magnificus est, ergo abiecta spernit. Sapienter quidem. Alta & excelsa conspicere non potest oculus, quem puluis claudit. | te & magnificentia.

Ordine iam sequitur locus ab officio iustitiæ, quæ sumpta definitione, facillime tractatur vt reliqui. Exempli causa. Iustus est, ergo parum & nimium, ergo damnum, & iniuriam fugit. Sed hic cesso, satis esse existimans, in hac prima partitione boni locorum formam, & quasi ideam quandam delineasse. His enim perspectis, imitatio in reliquis, erit longe facillima. Vt si dicas, affabilitatis officium esse, sales ingenij spargere; Comitatis, & amicitiæ, homines hominibus conciliare; Modestiæ, flammas ambitionis extinguere; Veritatis, omnem arrogantiam, & dissimulationem fugere; Prudentiæ denique, actiones humanæ vitæ dirigere & moderari.

410 Ab offic iustitia. ca Cetera lo virtutum a moralium similitudine horum peti possunt.

Loca de Bono vtili & iucundo.

SÆpe de bono vtili, sæpe de iucundo disputatur: de illo vt vsum & commoditatem, de hoc vt fructum & amœnitatem humanæ vitæ cognoscamus. Ad vtile discutiendum consultatio & electio; ad iucundum summa moderatio requiritur: Vtilitas enim nonnunquam ad perfidiam, voluptas sæpe ad infamiam incitat. Sed locos de vtroque, non vires vtriusque quæro. Ab vtili ergo vnus generalis locus ducitur. Cuius maxima est, quod, nihil est vtile, quod idem non sit honestum. Ratio est, quia bonum vtile, inseruit bono per se. Exemplum de diuitiis auari, qui bonum non facit, nisi cum moritur.

Locus primus ab vtili generalis.

Alter locus a comparatione multorum vtilium petitur. Maxima est, quod duobus, pluribusue vtilibus propositis, consultò eligendum est illud quod est præstantius. Ratio est, quia magis conducit ad finem. Exemplum est, de diuitijs & amicis, quorum hi præferendi sunt, nam ipse fœlix, vt ait Philosophus, amicis indiget.

2. A comparatione vtilium.

Tertius locus, a relatione vtilis ad finem. Maxima est, quod illud vtile est anteponendum, quod propius ad finem accedit, quodque ad finem vltimum & per se, potius quam ad finem medium, & per accidens confert. Ratio est, quia magis attingit bonum perfectum. Exemplũ de doctrina, & educatione iuuenis; vtrumque valet, ad bene beateque viuendum, sed educatio magis quam doctrina, quippe doctrina sine educatione, est nihil aliud quam armatâ malitia.

3. A relatione vtilis ad finem.

Quartus locus, a multitudine, dignitate, & necessitate boni vtilis. Maxima, quod plura paucioribus, digniora indignioribus, necessaria, minus necessariis sunt præferenda. Plura quia vnita vis in omni actione fortior: digniora, quia maiorem merentur laudem; magis necessaria, quia sine illis intentus finis non acquiritur. Exemplum plurium est in gerendo bello, in quo vtilia media, vt scientia ducis, ordo militis, opportunitas loci, vires animi, arma, subsidia, stratagemata requiruntur. Exemplum digniorum, est in consiliis ducis, & lacertis militis potius, quam in loco & insidiis. Exemplum denique necessariorum, est in acquirenda scientia potius doctum præceptorem rectamque viam discendi habere, quam labores multos comparare. Sed huic loco occurritur, quia dicit Aristoteles 3. Topicorum. Non necessaria necessariis meliora esse, eaque interdum magis expeti, vt bene viuere, quam viuere, cum bene viuere non sit necessarium, & viuere in necessariis ponitur. Dicendum est locum priorem esse verum, si necessaria, & minus necessaria ad idem referantur. Exem-

4. A multitudine dignitate & necessitate vtilis.

Obiectio. Solutio.

Plicauta : ... Sy viuere, & bene viuere referantur ad beatitudinem acquirendam, vtrumque est certe necessarium; sed respectu beatitudinis, bene viuere est magis necessarium. Quod dicat Aristoteles, bene viuere non esse in necessarijs, intelligit respectu conseruandæ naturæ, non acquirendæ virtutis.

De bono iucundo.

Locus primus a naturæ iucundi.

VT arcus semper intensus frangitur, ita animus nimis intentus rebus conficitur. Quare exonerandus est aliquando curis, vt honeste recreatus, ad studium conficiendum redeat alactior. Sed omissis verbis loca aggredior. Quorum primus est a natura iucundi. Maxima, quod nihil periculosius vulnerat naturam humanam, quam mala voluptas. Ratio est, quia a natura profecta, latissime diffunditur, eique difficilime obsistitur. Exemplum est multorum, qui dulci veneno voluptatis hausto perierunt.

2. Ab vsu iucundi.

Alter locus est, ab vsu boni iucundi. Maxima, quod nullum iucundum sit laudabile, quod cum virtute non coniungitur. Ratio est, quia alter excedit medium. Exemplum est de voluptate, quæ in ambitione aut contentione, alijsque rebus vanis fluxisque ponitur.

3. Ab effectu iucundi.

Tertius est ab effectu iucundi. Maxima est, quod iucundum moderatum, maxime conseruat naturam. Ratio est, quia vt solum dulce nutrit, ita solum id quod est iucundum naturæ placet. Exemplum in omnibus moderatis recreationibus, vt in certando, ambulando, equitando cernitur.

4. A comparatione multiplicis iucundi.

Postremus est, a comparatione multiplicis iucundi. Maxima est, quod iucundum animi in bonis sit excellentius, quam id quod est corporis, in malis vero periculosius. Ratio quia animus est nobilius subiectum. Exempla sunt in bonis animi, vt voluptas quæ capitur in actione virtutis, quæque capitur in contemplatione felicitatis. Exemplum in malis animi est, vt voluptas, quæ nascitur, ex omni concepto & commisso scelere.

Summa totius Philosophiæ naturalis breuiter descripta.

Omnia in physica auscultatione spectant aut

- Subiectum in quo versatur scientia, quod est vel
  - Commune, vt ens rei, sub quo omnes non solum substantiæ physicæ, sed etiam accidentia naturalia continentur.
  - Proprium, vt corpus naturale.
- Principium quod est aut
  - Primum, idq; vel
    - Constitutionis vt
      - Materia.
      - Forma.
    - Trãsmutationis, vt priuatio
  - Medium vt quatuor elementa
    - Ignis.
    - Aer.
    - Aqua.
    - Terra.
- Obiectum idque vel in
  - Opinione, vt
    - Vacuum.
    - Infinitum.
  - Veritate rerum, vt
    - Motus.
    - Tempus.
    - Locus.
- Finem qui est
  - Proximus, vt cognitio naturæ.
  - Remotus, vt cognitio primi motoris, de quo in septimo & octauo Physicorum, agit Philosophus.

Hanc

Hanc breuem præfixi tabulam, vt non solum rerum quæ in libris Physicorum imaginem, sed etiam locorum quæ inde traduntur vim, & ordinem lector studiosus intelligat. *De locis naturalibus.*

Primus ergo locus a subiecto physices ducetur. Maxima est, quod omnia in hac scientia comprehensa, & entia rei sunt, & ad corpus naturale reducantur. Ratio est, quia Philosophi, non intentiones & ideas, sed res ipsas considerant. Exemplum est in omni re naturali, quæ sub ambitu entis realis continetur. Si obijcias vacuum & infinitum quæ non sunt, tractari in hac scientia: Respondeo obiter refutandi, non demonstrandi causa id fieri. *1. Locus naturalis a subiecto physices.* *Obiectio.* *Solutio.*

Alter locus est a principijs in genere. Maxima est, quod, principiorum non est quærenda ratio: principijs enim oportet credere. Ratio maximæ est, quia principijs nihil est in arte prius. Exemplum est in principijs cuiusque artis, vt non est quærendum quare sit prædicamentum in Dialectica, an sit Deus in Sacra Philosophia. *2. A principijs in genere.*

Tertius locus est a triplici conditione naturalium principiorum. Maxima est, quod, neque oriantur aliunde, neque se inuicem constituant, nec non ab eis, fiant & gignantur omnia. Ratio est quia sunt primæ rerum causæ, vi tamen naturæ inter se disiunctæ. Exemplum est in ipsis principijs, nempe materia, forma, & priuatione. *3. A triplici conditione principiorum.*

Quartus locus est a numero principiorum. Maxima est, quod tria tantum sint prima principia rerum naturalium, nempe materia quæ rem conficit, forma quæ perficit, priuatio quæ materiam a forma ad formam incitat. Ratio maximæ est, quia hæc tria sufficiunt ad cuiusque corporis constitutionem. Exemplum est in omni corpore physico, in quo nec plura nec pauciora reperiuntur. *4. A numero principiorum.*

Quintus locus est a notione materiæ primæ: Maxima est, quod materia sit causa, a qua primum omnia fiunt, & in quam vltimo resoluuntur. Ratio est, quia in ea semper resoluimur, ex quibus componimur. Exemplum est in elementis, quorum partes quotidie corruptæ, in primam materiam abeunt. *5. A notione materiæ primæ.*

Sextus locus est a notione formæ. Maxima est, quod forma sit principium quod dat nomen & esse rebus. Ratio est quia in forma est distinctio, perfectioque rerum Exemplum est in forma hominis. *6. A notione formæ.*

Locus septimus est a notione priuationis. Maxima est, Quod priuatio sit principium transmutationis non constitutionis. Ratio est, quia negat & tollit præexistentem formam. Exemplum est in corruptione cuiusque rei, vt in morte hominis. *7. A notione priuationis.*

Octauus est a contrarietate principiorum. Maxima est, quod prima principia sunt priuatiue contraria. Ratio est, quia aliter non esset in materia motus ad formam. Exemplum est in perpetua successione, & varietate nouarum formarum, quibus delectatur & conseruatur natura. *8. A contrarietate principiorum.*

Nonus locus est a notione naturæ. Maxima quod natura sit principium, & causa motus & quietis in omni re naturali. Ratio est quia mouetur per materiam, quiescit per formam. Exemplum est in progressione naturæ, reique cuiuslibet generatione. *9. A notione naturæ.*

Locus decimus est a certa actione naturæ. Maxima, quod natura semper agit propter finem. Ratio, quia est sagax rerum domina, & moderatrix. Exemplum est in formica, quæ aceruum congerit. In aranea quæ telam texit, in hirundine quæ nidum artificiose conficit. Si vrgeas Casum, & fortunam *10. A certa actione naturæ.* *Obiectio.*

Solutio. admitti ab Aristotele: Respondeo id fieri respectu humanæ ignorantiæ non respectu naturæ: iuxta id quod habet in Ethicis, ibi nimirum cæcam triumphare fortunam, vbi crassa ignorantia regnat. Nam vbi est plus prudentiæ, ibi est (inquit) minus fortunæ. Fortuna enim est cum euentus ignoratur, & præter expectationem contingit, vt in fodiendo terram in serpentem incidere.

6. Ethic. Vbi est plus prudentia ibi est minus fortuna.

Fortuna descriptio.

11 *A definitione motus.*

Locus vndecimus, est a definitione motus. Maxima, quod motus sit, quasi manus, & vehiculum naturæ, id est, actus quo a forma, ad formam vehitur. Ratio est quia mobile perfectionem suam non acquirit nisi per motum. Exemplum est in ouo, quod per motum fit pullus; in semine mandato terræ, quod per motum fit planta.

12 *A Necessitate loci & Temporis.*

Locus duodecimus est a necessitate loci ac temporis. Maxima, quod motus fieri nō possit, nisi in loco & tēpore. Ratio est quia mobile, quod est subiectum motus, loco circumscribitur, & motus qui mobile vehit ad formam, tempore definitur. Exemplum est in omni specie motus. Si vrgeas illud quod dicit Philosophus, nempe ortum & interitum, (qui sunt species motus) non esse in tempore: Respondeo, hoc illum dixisse respectu termini ad quem, & vltimæ perfectionis, non respectu termini a quo, & mediæ progressionis naturæ: Nam quamuis generatio clauditur in actu, a primo tamen actu ad vltimum tempore continuatur.

Obiectio. Solutio.

13 *A fine naturalis Philosophiæ. Primus motor*

Locus decimus tertius, est a fine naturalis Philosophiæ. Maxima est quod sit vnus, idemque immensus, infinitus, primus motor, qui incommutabiliter manens, sine tempore omnia mutare potest, ipse vero mutari non potest. Vnus in essentia, in potestate immensus, in libertate voluntatis infinitus, primus motor in Imperio, incommutabilis in tempore, mutans omnia pro arbitrio, ipse vero mutari non potest, quia est simplicissimum & summum bonum, a quo omnia & esse, & bene esse habent. Ratio hujus loci, ab admirabili motu, ordine, varietate & dignitate rerum in theatro huius mundi petitur, quæ a primo motore quodammodo initium petunt, & (si viam perfectionis suæ sequantur) ad eundem redeunt. Is enim est qui ex nihilo prima principia & elementa condidit, qui leuia sursum, grauia ad centrum volare docuit, qui terram plantis, aquam piscibus, aerem volatilibus, hominis imperio subiectis adornauit, qui ignem ad fouendum, ad lucendum solem, vniuersum cælum ad influendum dedit. Is est (vt vtar verbis Philosophi) qui si naturam spectes, vnus, si potentiam, infinitus, si vitam æternus, si imperium summus, si opera admirabilis haberi debet: Qui denique etsi vbique manet, inconspicabilis naturæ omni interituræ, est tamen timendus, quia potens est, solum amandus, quia Deus.

Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur. Primus motor omnia ex nihilo creauit.

EPILOGVS TOPICORVM.

Ne aut nimis arida, aut nimis tumida sit seges inuentionis (studiose Lector) multa detraxi, vt vides, quæ sunt superflua, pauca addidi, quæ sunt fructuosa: non quod Aristoteles in suis Topicis alicubi nugetur, sed quod hæc ætas introductionibus multis instructa, non aliter rem sæpe inculcatam, quam bis decoctum cibum detestetur. Loca quæ addidi ex morum rerumque Philosophia insignem tibi vsum, si attente legeris, pollicentur: Noua sunt sed tamen (vt est in optatis) grata: numero pauca sunt, sed tamen (vt spero) ponderosa. Ingeniosus ille & doctus Agricola, seminarium & semen dedit: eius sequutus vestigia, sementem feci: vites ordine disposui: nouas aliquot plantas inuentionis conserui: si priscis vuis nectar in iuuentutis præcordia fluat, satis est optatum habeo.

Laus Rodolphi.

TRA-



TRACTATUS DE REPREHENSIONE SOPHISTARUM.

An Sophistarum reprehensio sit pars Dialectices?



ROSA non est sine spinis, nec ars sine næuis. Sed vt spina non est ex rosa, neque rosæ dulcedinem tollit, ita næuus non est ex arte, nec artis dignitatem minuit. Scoria cum auro, palea cum grano nascitur; illam excuti, hanc consumi oportet vt hoc vel illo perfruare. Sunt in Medicina multa salutaria, sunt multa venena: vtrumque docemus, vt illa propinata suscipias propter salutem, hæc demonstrata fugias propter periculum. Attice loqui docet Grammatica, definit tamen Barbarismum. Quid multis moror? Acute arguere docet Dialectica, definit tamen Sophistarum fraudem. Hæc gliscit, vt scoria, crescit vt palea, pungit vt spina, vt venenum nocet, si sit admissa. Recte igitur Aristoteles de technis Sophistarum scripsit, vt pudicam & verecundam faciem artis a fronte meretricia fraudis possis distinguere. Sed vt nodos bene retexere non potest, qui nectere non didicit, ita insidias Sophistarum resoluere nemo potest, qui illas execu tere primum non intelligit. Quamobrem, vt Barbarismum Grammaticus, vt venenum medicus: ita Paralogismum Dialecticus proponit, tractat, discutit. Verum hic quæstio suborta est, an Elenchus sit pars Dialectices? Existimo equidem neque Sophistam esse Dialecticum, neque Elenchum esse partem dialectices: est tamen reprehensio vtriusque pars quidem primaria, sub iudicio coacta & comprehensa. Errores enim discutere, concinnatas insidias dispellere, errantes reducere, intentas fallacias reprehendere, Iudicij est accurati: quippe docte alios arguere est nihil aliud quam sapienter iudicare.

Fraus imitatur artem.

Elenchus non est pars, Dialectices.

Vsus huius tractatus est, vt { Disputemus melius, / Iudicemus accuratius, / Nobis caueamus subtilius } { Quia depulsis Sophistarum nubeculis & insidijs lux veritatis magis splendescat.

Oppon.

Duæ sunt tantum partes Dialectices, Inuentio, & Iudicium, ergo reprehensio Sophistarum non est pars.

Resp.

Duæ sunt tantum generales partes, verum vt refutatio est pars orationis quæ tamen Oratio est pars Rhetorices; ita Reprehensio Sophistarum (quæ est quædam refutatio) est quidem pars iudicij, quod tamen iudicium est pars Dialectices. Oculus est pars capitis, & tamen pars totius hominis recte dicitur: ita reprehensio Sophistarum pars est iudicij, & tamen pars Dialectices recte nominatur.

CAP. I.

An ignorantia Elenchi sit causa erroris in omni arte?

QVI cæca nocte exorta procella vela expandunt, nauem facile allidunt ad scopulos: nemo citius vincitur quam incautus: nemo offendit magis quam astutus: est ergo operæprecium in arce cuiusque scientiæ, sic excubias facere vt caueamus nobis a Sophistarum fraudibus: aliter enim nos incautos & oscitantes presso quasi vestigio opprimant. Sunt enim quasi vulpes tendentes reticulas, quibus nos captos statim veluti captiuos in abyssum & labyrinthum errorum præcipitent: ignorantia ergo fraudis Sophisticæ, est mater erroris in omni scientia. Quippe rudis & ignarus fallaciarum, sæpe malum pro bono, falsum pro vero, fucum rationis pro argumento accipit. Est enim luscus, vel cæcus potius, vt ait Auerroes, qui tanquam musca, tenuissima quauis tela araneorum, id est, Sophistarum, capitur, inficitur, suffocatur.

Ignorantia fraudis Sophisticæ est causa erroris.

Auerroes.

Ignorantia Elenchi est causa erroris,
- Propter magnam apparentiam veritatis, quam præ se fert Sophistica ratiocinatio.
- Propter simulatam sapientiam, quam inesse Sophistis vulgaris concepit opinio.
- Propter latentem & occultatam fraudulentiam, qua vtitur Sophista, vt inferatur contradictio.

Oppon.

Multæ sunt causæ erroris, teste Philosopho, in Ethicis: ergo ignorantia Elenchi non est sola causa.

Resp.

Non est sola causa, sed præcipua tamen. Nam aut aperte aut occulte est ignorantia Elenchi, vt error in discutienda quæstione committatur. Nam quamuis contingit error ex simplici & crassa ignorantia, vt in impiis: vel ex defectu prouidentiæ, vt in hominibus minus cautis, tamen maxime ex ignorantia Elenchi dependet in iis, qui satis esse putant, relictis impedimentis ipsa fundamenta didicisse.

CAP. II.

Quid Elenchus? quis Sophista? quantum differt a Sapiente.

NE erremus ex ignorantia Elenchi, in rem erit studiosæ iuuentutis si nunc quid sit breuiter dicamus. Definitur a Philosopho fallax & contendendi studio suscepta ratiocinatio, per quam contradictio causæ, de qua agitur, in opinione ignorantis concluditur. Ratiocinatio dicitur, non quod sit, sed quod eam imitetur. (Fallax & contendendi studio suscepta ratiocinatio appellatur) vt astutum artificem eiusdem (quia est insidiosus Sophista) fugiamus. Vltima pars additur: nimirum (qua contradictio in opinione ignorantis concluditur) vt nos cautiores reddat, ne ignorantia eiusdem, turpiter laboremus. Huius artifex (vt dictum iam est) appellatur Sophista, quem definimus hominem subdolum, insidiosum, æmulum alterius famæ, qui fuco quodam sapientiæ fumulos quasi rationis spargit, quibus ignorantibus facile imponit. Breuius sic. Sophista est inuentor contradictionis. Breuissime sic, est simia sapientis: sed quantum inter Sophistam & sapientem intersit, ex verbis ipsius Philosophi constat. Sunt (inquit) sapientis duo officia: nempe verum dicere, & errantem in viam reducere veritatis: sed tam abest a reducendo fallax Sophista, vt semper dissimulet: tam abest a reducendo in viam veritatis, vt cum seduxerit maxime triumphet.

Interpretatio Elenchi.

Sophista quis.

Discrimen inter Sophistam & Sapientem. Duo officia Sapientis.

Elenchus

Elenchus accipitur dupliciter.
- Communiter, relatione habita ad omnes fallacias, sic habet admodum proximam definitionem apud Aristotelem.
- Stricte, a fine, & sic hoc loco definitur.

In Sophista considerantur
- Ingenium subdolum, paratum ad insidiandum.
- Lingua rixosa, armata ad concertandum.
- Inuentio mala, acuta ad obtrectandum.
- Finis, qui est inanis gloria ad seipsum extollendum.

Discrimen inter sapientem & Sophistam rectius intelliges, si hæc collecta ex Aristotele diligenter obserues.

Nimirum tria,
- Officium quod est
  - Verum semper dicere.
  - Errantes corrigere
    - Disciplina, si peccent.
    - Doctrina, si errent.
- Vitam positam in
  - Contemplatione Veritatis.
  - Actione Virtutis.
- Finem, qui est
  - Alijs prodesse, docendo recta.
  - Veritatem defendere, resoluendo dubia.

Lib. 10. Ethicorum. Lib. 6 Politicorum.

Opponens.

Contradictio in omni Sophistica conclusione non infertur, ergo Elenchus male definitur. Antecedens patet in multis fallacijs maxime in petitione principij, vbi idem per idem probatur: sed eodem modo, non est contradictio.

Resp.

Contradictio est vel respectu
- *Rei & sic non Ens dicitur: hoc modo non semper infertur in conclusione Sophistica.*
- *Opponentis & sic in omni fallacia est contradictio, id est, insidiosa illatio non expectatæ conclusionis.*

Oppon.

In Ethicis & politicis multo plura traduntur officia sapientis, quam duo: ergo minus recte hoc loco duo solum assignantur.

Resp.

Agit hoc loco de duobus tantum officijs non quod non sint plura, sed quia hæc sunt præcipua maximeq́ ad distinguendum sapientem a Sophista accommodata.

CAP. III.


An sit quinque Sophistarum metæ

Sophista, qui est concinnator fraudis, & insidiator artis, non aliter ac Sapiens, multos sibi scopos proponit; nam etsi vltimus quidem finis Sophistæ sit inanis gloriæ captatio, sunt tamen alij & medij fines quibus ad dolum vtitur. Nominatim redargutio, falsum, inopinatum, solœcismus, & nugatio. In his castra figit, his delectatur, his simplex & incautus aduersarius sæpe confoditur. Redargutio est iniusta & hostilis irrisio, necnon propter absurdum concessum armata reprehensio. Falsum est quiddam longe Veritati dissentaneum, quod ignarus, Sophistarum retibus captus, & irretitus, impellitur concedere; vt seipsum non esse hominem. Inopinatum est quiddam valde absurdum subito illatum a Sophista, & inexpectatum respondenti: sic enim solet, quasi ictu fulminis aduersarium vulnerare. Solœcismus hic pro omni vitio orationis sumitur, quod sæpe indoctis ex metu contingit: suffusi enim pudore, ac sollicitj de fama aliquando balbutiunt. Negatio est inanis, & otiosa tam Verborum, quam

Vltimus finis Sophistæ est inanis gloriæ captatio. Redargutio quid? Falsum quid? Inopinatum, Solæcismus. Nugatio.

rerum repetitio, ad quam sæpe cogitur respondens, cum conscius sibi est, se non posse euitare vim & fraudem sui aduersarij.

DISTINCTIO QVÆSTIONIS.



Oppon.

Fallere & mentiri est finis Sophistæ, vt docet Aristoteles: ergo alij sunt fines quam hic statuuntur.

Resp.

Argumentum non sequitur: nam fallere & mentiri, sub falso continentur.

CAP. IIII.

An fallacia rectè definiatur: &, An sit in rebus?

Sophistarum argumenta minus feriunt

INSIDIOSVS hic impostor & Sophista, vt videatur accinctus, pharetram telis quasi refertissimam secum in arenam portat. Veruntamen si sis armatus, timendum non est, plumbea enim sunt minusque feriunt; imo facile a cautis retorquentur. Hæc tela, fallaciæ & loca Sophistarum appellari solent: nam vt ex locis Axiomata per Dialecticos: ita ex his, Sophismata per Sophistas hauriuntur. Definitur fallacia tectum, & astutum artificium a Sophista concinnatum ad capiendos rudes, & incautos homines. Ponitur autem omnis fallacia aut in dictione, aut in re. In dictione, quia vis maxima captionis, ex verbis nascitur: quippe vocum penuria est causa multiplicium: & vt nullus fere morbus, est sine febre; ita nulla est pene fallacia sine multiplici: omnes enim fallaciæ ad multiplex reducuntur. In Re, fallacia inesse dicitur, non quod res sit multiplex & Æquiuoca, sed quod sit nonnunquam obscura admodum. A voce ergo propter ambiguitatem: a Re propter obscuritatem fallacia nascitur. In voce sex sunt: Homonymia, quæ est vnius dictionis: Amphibologia, quæ est orationis; compositio falsa, fallax diuisio: Mala dispositio

Fallacia quid? Diuisio fallaciæ.

In Re fallacia quomodo. Quot sint fallaciæ in voce.

tio accentus: Insidiosæ dictionis figura. In re' septem: nimirum fallacia per accidens a rebus ad voces; Fallacia a secundum quid ad simpliciter: Ignorantia Elenchi; Petitio principij; Fallax consequutio; Non causa pro causa; Numerosa & multiplex interrogatio.

Fallacia omnis oritur vel
- A vocibus
  - Propter penuriam verorum nominum, quę certa significant.
  - Propter ignorantiam imperitorum hominum, qui voces recte impositas, minus apte rebus accommodant.
- A rebus propter
  - Multitudinem
  - Obscuritatem
  - Similitudinem

  Quæ omnia (teste Boetio) summam confusionem, in rebus pariunt.

Oppon.

Res multiplices non sunt, ergo in rebus non est ponenda fallacia. Antecedens cōstat, quia res vnam, certam, simplicem & constantem naturam habent. Argumentum probatur, quia multiplicitas in obiecto, est causa fallaciæ in animo.

Resp.

Res non sunt multiplices, ex parte sui, sed respectu nostri. Nos enim multitudine aliquando, nonnunquam similitudine, sæpe obscuritate rerum decipimur.

CAP. V.

An fallacia Æquiuocationis recte assignetur?

Longe lateque patet in omni arte æquiuocatio nominis, quamobrem sub ea (vt anguis sub herba) latitās Sophista, multas incautis parat insidias. Vt ergo cautiores simus hæc imprimis traditur fallacia ab æquiuocatione, quā (si definias) nihil aliud est, quam insidiosum decipiendi artificium per ambiguitatem nominis. Ignota enim multiplici nominis significatione, fraus statim intenditur, scrupulus cito inijcitur. Non otiose ergo suadet Philosophus 1, Topicorum, vt distinctionem multiplicium, & discriminationem rerum diligenter & attente obseruemus. Materia huius fallaciæ, vt ita dicam, est ipsa dictio; forma, numerosa significatio vocis & intentio fraudis; Efficiens causa, vnitas dictionis. Finis deceptio simplicis. Fundatur enim in dictione, formatur in intentione, ab vnitate vocis proficiscitur, ad deceptionem destinatur. Aduertendum hic est, tot modis fieri hanc fallaciam, quot modis distinguitur in antepredicamentis æquiuocum: ad quem locum, breuitati studens, lectorem refero. Cum tamen omnis pene ars Sophistarum a multiplici dependeat, opportune quot modis dicatur multiplex, hoc loco demonstratur.

Æquiuocatio late patet in omni arte.

Quid fallacia æquiuocationis.

In quibus consistit fallacia æquiuocationis.

Multiplex est vel in
- Actu, cum dictio eadem tam secundum formam compositionis, quam secundum modum prolationis, diuersa significat, vt canis.
- Potentia, cum vox eadem manens secundum formam compositionis, modo proferendi alterato, significationem mutat; vt cortex pro libro, & testa arboris.
- Apparentia, seu, vt veteres aiunt, phantasia, cum in opinione ignorantis sic appareat, propter similitudinem vnius, cum altero. Vt si credat ignarus, Sophistica ratione coactus, eosdem in iride esse colores qui sunt in rebus.

Oppon.

1. Li. de repr. Sophist. ca. 2.

Ex ista distinctione multiplicis omnes fallaciæ oriuntur; ergo opportune in hac distracta fallacia non discutitur nomen multiplicis: sic enim est omnium fallaciarum in hac vna confusio.

Resp.

Vt multiplex aut voce, aut sensu est commune obiectum omnibus fallaciis, ita est fallacia æquiuocationis longe lateq; diffusa, non ergo incommode hic adhibetur distinctio vt intelligatur ad multiplex vt ad commune obiectum, & ad fallaciam æquiuocationis vt ad commune principium, omnia sophismata reduci ac reuocari.

CAP. VI.

An fallacia ab amphibologia recte assignetur?

Vt dictio, ita oratio sæpe est anceps & obscura.

FAllacia ab Amphibologia recte sequitur fallaciam ab æquiuoco, quia illa in simplici dictione, hæc in tota oratione consistit: nam vt simplices voces frequenter ambiguitatem, ita orationes magnam sæpe obscuritatem habent. Huc omnia ænigmata, omnia oracula, omnia denique problemata maiorum nostrorum (quæ in ancipitem distrahi possunt sensum) referuntur. His enim velis vtitur Sophista: ex his Elenchis, quasi nubeculis, fulmina in aduersarium mittit; vt, quia Christus dixit, *Pater me maior est*; ergo inquit Antisophista non est æqualis Patri. Definitur hæc fallacia, captiosus modus decipiendi, per ambiguam, & multiplicem orationem, quæ contingit, vel ex ancipite sensu vocum quibus constat oratio; vel ex multiplici conceptu hominum, qui varijs modis rem vnam sæpe interpretantur: Huius genera & exempla in sequenti tabula patebunt.

Fit hæc fallacia tribus modis, aut

- Per multiplicem & obscuram significationem totius orationis, vt velle & posse sunt idem in æterno; sed Deus, qui est æternus potest mundum in perpetuum reseruare, ergo vult. Vera est major quoad essentiam, non quoad actionem rerum æternarum. Vera est etiam minor in absoluta potestate Dei, non in comparata, quam ordinatam & conditionatam theologi appellant.
- Per translationem, cum nos fallit Sophista metaphoris, vt spes est anchora salutis, ergo falli non potest.
- Per compositionem; cum oratio composita plura; simplex & diuisa vnum significat: vt, quicquid scit aliquid, habet scientiam, sed sæculum scit aliquid, ergo habet scientiam.

NOTA.

Etsi varia genera singularum fallaciarum traduntur, vnum tamen est primarium, ad quod reliqua reducuntur.

CAP. VII.

An fallacia compositionis recte assignetur?

Ratio ordinis. Compositio quid.

FAllaciæ æquiuocationis & amphibologiæ se mutuo sequuntur, propter cognationem: Fallaciæ vero compositionis, & diuisionis simul tractantur propter oppositionem: cognatorum enim & oppositorum par ratio est, quoad disciplinam. Compositio hoc loco non tam malam dispo-

dispositionem vocis, quam astutam coniunctionem sensus significat. Tum enim fallacia compositionis dicitur, cum sensus diuisus verus est; sensus autem compositus, falsus, vt in hac oratione: possibile est iuste viuentem cadere: si diuisim intelligas, vera est: si coniunctim, falsa est sententia. Toties ergo contingit hæc fallacia, quoties a bene diuisis ad male coniuncta procedit Sophista. Est enim fallacia compositionis, artificium decipiendi, cum bene diuisa male coniunguntur. Vt, Abrahamus est iustus & peccator, ergo est iustus peccator. Hinc recte definitur compositio eorum, quæ debent sensu & voce separari, fallax & insidiosa vnio. *Fallacia compositionis quid.*

Considerantur in hac fallacia
- Causa deceptionis, quæ est vnitas sententiæ insidiose cõpactæ, vt sensus falsus inferatur.
- Causa defectionis, quæ est diuersitas sensus compositi.

Et
- Situs orationis qui est aut
  - Magis debitus, cum vox, quæ determinatio vocatur ad primarium verbum in sententia refertur, vt in hac oratione. Qui viuit semper est: Si hæc vox (semper) adiuncta hoc verbum (viuit) determinet, vera est sententia; si vero illud verbum substantiuum (est) designet, fallax manet.
  - Minus debitus, cum vox quæ determinatio appellatur, verbum minus primarium restringit. Vt quicunque viuit semper, est, sed homo mortalis viuit, ergo homo mortalis semper est.
- Modus
  - Primus, cum determinatio diuersa in eadem sententia astute refertur.
  - Secundus, cum tota oratio varijs determinationibus perturbatur.

CAP. VIII.

An fallacia diuisionis recte assignetur?

NON solum coniuncto sed etiam disiuncto rerum sensu nos fallit Sophista: vt est ergo fallacia compositionis, ita est fallacia diuisionis, quæ huic ex aduerso respondet. Nam vt fallacia compositionis, est a bene diuiso sensu ad male coniunctum, ita fallacia Diuisionis est a bene coniuncto ad male diuisum. Res male tum diuidi & separari dicuntur, cum ex diuisione sensus fallax & captiosus nascitur. Nascitur autem, aut ratione multiplicis determinationis: vt quæque persona in triade est Deus: sed tres sunt personæ, ergo tres sunt Dii. Aut vi ipsius diuisionis fallaciter intentæ, vt, Christus aut naturam Dei aut naturam hominis habet, sed naturam Dei habet, ergo naturam hominis non habet. Hic callide hæreticus sub specie diuisionis veræ humanam naturam a Chisto Deo separat, cum tamen in illo vtraque sine vlla contradictione inesse potest; nam in infinito qualis est Christus non est contradictio. *Fallacia diuisionis quid.* *Exemplum diuisi sensu.*

Compositio est
- Grammatica, quæ spectat
  - Situm directum & verum contextum orationis in omni certa propositione.
  - Sensum certum & definitum, & sic euitatur hæc fallacia diuisionis & compositionis.
- Sophistica quæ spectat
  - Situm orationis inuersum
  - Sensum insidiosum

  } Vnde nascitur hæc fallacia.

CAP. IX.

An fallacia accentus recte assignetur?

Accentus quid.

Comparatio Scoti.

Fallacia accentus quando contingit.

Modus primus.

Modus secundus.

DEliramenta Sophistarum non solum in rebus & vocibus, sed etiam in accentu vocum, & signis rerum aliquando ponuntur. Hinc alia duo genera fallaciarum in officina Sophistica fabricantur; alterum de accentu, alterum de figura dictionis. Accentus nota est eleuandæ vel supprimendæ vocis. Recte Scotus in hoc; Accentus, inquit, est ad vocem, vt clauus est ad nauem: nam vt per hunc nauis flectitur, ita per illum vox dirigitur. Parit accentus fallaciam admodum latentem, si non obserues. Sed vt melius intelligas, attende hanc contingere potissimum in verbis eiusdem compositionis, at non eiusdem quantitatis; vt in cortice pro libro & cute arboris, in populo pro planta & turba hominum, cæterisque istiusmodi pene infinitis. Est quoque alia ratio, qua contingit: nimirum si iusta proportio & quasi concentus pronunciandi non obseruetur: vt in ara & hara; in via & inuia.

Fit fallacia accẽtus quatuor modis, vel
- Quando sensus orationis variatur propter accentum mutatum; vt in pendere & pendêre.
- Quando spiritus additus, vel detractus significationem mutat, vt in ara & hara.
- Quando discinditur aliqua dictio cuius partes separatæ, possunt aliquid per se significare, vt hæc vox, *ques* qui es.
- Quando gestus orationis sensum inuertit, vt, egregie perfunctus es officio Piso.

Oppon.

Vbicunque est impositio fallaciæ a multiplici significatione vocis, ibi est fallacia æquiuocationis: sed in omnibus generibus fallaciæ ab accentu, imponitur nobis a multiplici significatione vocis: ergo in omnibus generibus fallaciæ ab accentu, est fallacia æquiuocationis: & proinde hæc duo genera, non distinguuntur.

Resp.

Quomodo fallacia accentus a fallacia æquiuocationis distinguitur.

Concedendum est fallaciam æquiuocationis generatim acceptam, in omni fallacia tam vocum, quam rerum quodammodo latitare: verum hinc non sequitur non distingui. Nam vt omnia prædicamenta ad vnam substantiam, vt omnia prædicata ad vnam definitionem reducuntur, cum tamen vi naturæ dissocientur: ita fallaciæ omnes ad multiplicem sensum referuntur, cum tamen proprios modos sortiti distinguantur. Exempli causa: in hac fallacia duo spectamus. Multiplicem sensum dictionis, sic est æquiuocatio: & modum pronunciationis, & sic est ab accentu fallax & captiosa intentio.

CAP. X.

An fallacia figuræ dictionis recte assignetur?

Vnde fallacia in figura dictionis.

POstrema fallaciarum circa distinctionem, est a figura ipsius dictionis: quæ definitur, similis quædam compositio vel terminatio vocum. Est enim in multis vocibus magna compositionis similitudo. Huius prætextu & colore vsus Sophista, multas sæpe concinnat fraudes, multas nectit insidias. Hæc fallacia, causam, vt aiunt, apparentiæ sumit a simili compositione vel terminatione dictionis, præsertim cum aliquid vni voci attribuitur, quod alteri secundum rei virtutem ascribi non potest.

Quare non sequitur, Musa est primæ declinationis, ergo & dogma erit. Sic tamen concludit Sophista, quia hæc duo nomina similiter desinunt & terminantur. Distinguunt hîc interpretes non solum similitudinem verbi, sed etiam terminum prædicamenti causam esse istius fallaciæ. Exemplo hoc tradi & designari potest; docere est agere, ergo videre est agere: attamen secundum Aristotelem potius similitudo verbi quam terminatio prædicamenti est causa. Quippe figura dictionis in similitudine verbi non in constitutione rei consistit. Vide distinctionem sequentem, in qua vt in cæteris, non tam meam, quam aliorum interpretum propono sententiam.

Fallacia figuræ dictionis consistit vel in
- Simili terminatione, eademque aut
  - Verbi, vt qualis est musa, talis est poeta. Sed musa est fœminini generis, ergo & poeta.
  - Prædicamenti, vt lineatum est quantitas, ergo coloratum est quantitas.
- Significatione alicuius proprietatis, quæ vni simili non alteri ascribi potest, vt homo est albus; at mulier est homo, ergo mulier est albus.
- Diuersa suppositione, vt homo est species, ergo aliquis homo est species.

Opponens.

In fantes possunt resoluere primum modum istum fallaciæ de mutato genere: ergo inde insidiosa non petitur argumentatio.

Respon.

Etsi in primo modo explicationis causa facilis nodus proponitur, in reliquis tamen delitescit laruatus Sophista: neq; tam leuis est primus generis resolutio: nam non solum genus grammaticum, sed etiam prædicamentum, quod est genus Dialecticum, respicit.

DE FALLACIIS RERVM.

CAP. XI.

An fallacia per accidens recte assignetur?

Causæ cur in rebus contingere dicatur fallacia.

DEmonstratum iam est non res, sed obscuritatem & multitudinem rerum laqueos Sophistarum efficere. In rebus tamen quædam sophismata latere dicuntur ob causas quas diximus. Tanta enim est similitudo multorum, vt vere distinguere; tanta multitudo vt recte comprehendere; tanta denique obscuritas, vt certe intelligere, nemo adhuc Philosophorum potuerit. In his se macerat Sophista, in his excruciat alios, si sint similia, vt chalybs & ferrum, stannum & argentum, orichalcum & aurum (abstracto Lydeo lapide iudicij, quo distingueres) alterum pro altero sumendum esse acriter contendet. Quanto magis fallet si sint multa? quanto facilius si sint obscura? In cognatis ergo similitudinem; in multis ordinem; in obscuris naturam discute. Causis iam tandem perspectis, cur a rebus quædam fallaciarum genera peti videantur, primam illam fallaciam in rebus, vulgo per accidens nominatam, paucis explicemus. Nomen accidentis fuit admodum est hic acceptum, non modo pro affectione aliqua foris assumpta, vt est splendor respectu

In cognatis similitudo, disiunctis ordo, obscuris demonstratio quæritur.

aeris; sed etiam pro omni quod inest ex essentia rei, vt Plato respectu hominis, omne inferius respectu superioris. Hinc definitur fallacia accidentis captiosa argumentatio in qua idem similiter & rei subiectæ, & accidenti existimatur conuenire; vt homo est species, sed Plato est homo, ergo Plato est species.

Tria sunt genera fallaciæ per accidens:

- Primum, cum per primam regulam antepraedicamentalem a rebus ad voces & ex aduerso disputetur, vt Plato est substantia, substantia est genus, ergo Plato est genus.
- Secundum, cum ab occulto aliquo adiuncto, quod & rei subiectę & accidenti similiter non conuenit, arguitur, vt quod Plato est, Socrates non est; sed Plato est homo, ergo Socrates non est homo. Hic in maiore insinuatur aliqua affectio per quam alter ab altero differt at in minore captiose essentia distinguitur.
- Tertium, cum medium & termini Syllogismi astute disponuntur, vt, cuiuslibet contradictionis pars altera est vera, sed hæc propositio. Homo est lapis, est pars altera contradictionis, ergo est vera propositio.

CAP. XII.

An fallacia a dicto secundum quid ad simpliciter recte assignetur?

Hydra insidiarum nascetur ex defectu comparationis in rebus.

NVlla fallaciarum specie sæpius vtitur Sophista, quam, quæ a parte ad totum, a dicto, vt aiunt, secundum quid ad simpliciter procedit. Non est facile, vt ait Plato, quid rebus simpliciter & omnino, quid ex parte conuenit discernere. Hinc errorum & insidiarum Hydra nascitur, vt ait Boetius; quod homines aut non possint, aut non velint perscrutari, quid rebus ex comparatione, quid absolute conueniat. Quare moneo studiosos adolescentes, vt omnibus intentis neruis, maximoque studiorum conatu istos fucos scarabeorum dispellant, quod sane fecerint, si quid per se, quid temere & casu; si quid simpliciter, quid ex parte; si quid absolute, quid respectu; si denique quid ex circumstantia, quid ex essentia rei conuenit; velint perpendere. Non raro etenim sub hac saluia serpentina delitescit Saliua; id est malitiosa Sophistarum astutia; idque vel respectu loci; vt apud Thraces parentum funera filij non deflent; ergo apud Anglos non deflerent: vel respectu temporis, vt, exorta procella, expedit merces in mare proijcere, ergo expedit merces in mare proijcere; vel respectu partis, vt Æthiops est albus dentibus, ergo Æthiops est albus; vel denique respectu circumstantiarum, vt, est homo mortuus, ergo homo. Exempla hæc aperta sunt, vt, res dilucescat magis; at sedulo legentibus passim erunt longe spinosiora, idque si serio animaduerterint in rebus & causis non contemnendis.

Prouerbium

Respectu: Loci. Temporis. Partis. Circumstantiarum.

Opponens.

Quamuis aliquis sit crispus solum capite, aut claudus pede, totus tamen, aut claudus, aut crispus dicitur; ergo a parte ad totum sequitur ratio.

Solutio.

Quæ definiunt sibi aliquam partem in subiecto, cui si insint denominan,

Accidentia sunt duplicia, vel	*minant totum, vt visus oculum, sapientia mentem, & in his ista non tenet fallacia.*
	Quæ nulli vni parti magis destinantur quam alteri, vt candor, calor, & in his tenet fallacia, vt patet in exemplo Æthiopis.

CAP. XIII.

Fallacia ignorantiæ Elenchi.

COaxant sæpe rancidi Sophistæ ex densis cauernis ignorantiæ. Est enim ignorantia Sophistarum quasi reticula, qua rudes & imperiti rerũ, non aliter ac pisces hamo capiuntur. Hinc Elenchum suum, vt vastam quandam Ideam proponunt, cuius definitionem, (quæ est longissima) si ignoremus, statim ab illis confodimur, necnon ignorantiæ nota perstringimur. Quare vt eorum aculeos laqueosque euitemus, Elenchum definire, fallaciamque ab eo natam in suas partes diuidere oportebit. Elenchus est, vt ait Aristoteles, contradictio vnius & eiusdem: non nominis, sed rei: & nominis, non Synonymi, sed eiusdem, ex his, quæ data sunt ex necessitate: non commemorato eo quod erat in principio secundum idem, ad idem, similiter, & in eodem tempore. Opus hic est fortasse dices, aut Oedipo qui resoluat: aut Alexandro, qui discindat istius tam prolixæ tamque obscuræ definitionis nodos. Si generatim velis intelligere hæc omnia, nihil aliud vrgent, quam quod Elenchus sit Syllogismus contradictionis: id est, contradicentem propositionem præter expectationem respondentis concludens. Hinc contradictio dicitur, quia contradictionem infert: vnius & eiusdem nominis, quia in eodem nomine consistit vera contradictio, vt in cælo non cælo: Contradictio etiam non nominis, sed rei & nominis dicitur, quia vnum contradicentium, res esse debet: Alterum, solum nomen: Deinceps additur, quod non sit contradictio Synonymi, vt Honesti, &, eius quod decet; sed est contradictio eiusdem nominis vni rei subiecti, vt, cæli & non cæli; Postea sequitur, quod sit contradictio ex his, quæ data sunt ex necessitate: id est, dependeat a propositionibus, quæ in Syllogismo necessario ponuntur: verba quæ sequuntur, (nempe non commemorato eo, quod erat in principio) excludunt fallaciam, quæ petitio principij appellatur. Quæ verò in postremo loco enumerata sunt: cuiusmodi sunt; Ad idem, Secundum idem, Similiter, & Per idem tempus: quatuor genera seu modos illius fallaciæ insinuant.

Elenchi definitio ex Aristotele.

Breuis & dilucida prolixæ definitionis interpretatio.

Quatuor modi huius fallaciæ.

Nam primus modus est cum omittitur particula (ad idem) vt, decem sunt dupla ad quinque & non ad sex, ergo decem sunt dupla & non dupla. 1.

Secundus est cum omittitur particula, secundum idem, vt, hæc linea est dupla secundum longitudinem & non secundum latitudinem, ergo est hæc linea dupla & non dupla. 2.

Tertius est cum omittitur particula similiter, vt, Plato est sapiens & non necessario sapiens, ergo Plato est sapiens, & non sapiens. 3.

Quartus est quando omittitur particula, in eodem tempore, vt Democritus nunc ridet, nunc non ridet, ergo Democritus ridet & non ridet. 4.

Fusius istam definitionem tractauimus, & quia est longissima apud

Philosophum, & quia dilucida tractatio eiusdem insidiosum maxime prodit Sophistam. Nam ignorantiā Elenchi vt antrum & portum habet.

Contradictio est duplex, vel
- Puræ negationis: & sic in tractatu de oppositis intelligitur.
- Malæ & peruersæ dispositionis, quæ fucum negationis habet, & hæc a Sophistis intenditur.

Fallacia Elenchi sumitur bifariam, aut
1. Fuse, pro captione quacunque orta ex defectu circumstantiarum, quę in illa definitione bene longa, sumitur: & sic ad hanc fallaciam reliquæ omnes reducuntur, vt habetur in calce 6. Capitis.
2. Stricte, pro omissione quatuor circumstantiarum, in vltimo loco positarum, vel earum qualibet, & sic est per se distincta species fallaciæ.

CAP. XIIII.

De petitione principii.

INter multas insidiosas technas, aliquot nugas, easdemque valde leues & ridiculas spargit Sophista. Quare nulla inanior est, mea quidem opinione, quam petitio principij: quippe in hac admodum otiose sua cum ipsius vmbra decertat & nugatur: Idem semper agit, & vt aiunt, Sisyphi saxum voluit. Nam vnum idemque per id ipsum mutatis verbis probat. Hinc definitur Petitio principij, eiusdem per idem probatio: hinc etiam fallacia petitionis definitur, Captiosa argumentatio, cuius antecedens non est omnino notius consequente, sed est vel idem omnino, vel ignotius, vel æque ignotum, vt, Clodius insidiatus est Miloni, ergo Clodius struxit insidias Miloni. Sed in re tam leui breuitati studeo: quare ad distinctionem sequentem Lectorem refero.

Petitio principij duplex,
- Omnibus nota & ridicula, quę est probatio eiusdem per idem, tam re quam voce, vt homo currit, ergo homo currit.
- Paucis perspecta, & hęc fit quatuor modis.
  1. Vel quando idem mutato nomine per idē probatur, vt, Sunt qui aduersa nobis vestigia vrgent, ergo sunt Antipodes.
  2. Vel quando adhibetur æque ignotum ad probandum aliquid, vt, anima leonis non migrat e corpore, ergo anima hominis non migrat.
  3. Vel quando adhibetur ignotius, vt, Sunt tres personæ & vnus Deus, ergo sunt tres potentiæ animæ & tamen vna anima.
  4. Vel quando sumitur posterius naturę ordine ad probandum prius.

Vt animal risibile est capax disciplinæ, ergo animal rationale est capax disciplinæ.

Opponens.

Licet efferre eandem sententiam mutatis verbis teste Cicerone, ergo licet principium petere.

Resolu-

Resolutio.

Licet in dicendo non in disserendo: licet in exornando sermone, non in probando argumento.

Oppon.

A definitione ad definitum, a toto in quantitate ad rem particularem deducuntur loca Dialectica: ergo non constituunt modos huius fallaciæ.

Resp.

Spectantur in locis definitionis & Totius, duo.

1. *Constitutio rei: & sic ab illa ad definitum, & ex aduerso sequitur locus Dialecticus.*
2. *Intentio fraudis, quando arguitur a prædicatis, quæ priori & notiori modo conueniunt definitis, quam definitionibus, & sic oritur locus Sophisticus; vt animal rationale currit, ergo homo currit. Notandum est quod hoc verbum (currit) notiore modo homini quam animali rationali conueniat. Idem dicendum est de toto in Quantitate: nam sunt quædam attributa, quæ notiore modo toti quam parti conueniunt.*

CAP. XV.

De Fallacia consequentis.

Fallacia consequentis quid?

Simia hominem: sapientem fallax imitatur Sophista. Nam vt sapiens ex antecedentibus consequentia nectit: ita Sophista sapientis quasi insistens vestigijs, ex antecedentibus multas excudit insidias; quæ toties struuntur, quoties conuerti res putamus, quæ tamen minime conuertuntur. Recte ergo definitur fallacia consequentis, captiosa argumentatio prouenienς ex fucata & apparenti reciprocatione consequentis cum antecedente: vt, si pluit, terra est madida, ergo si terra sit madida, pluit; si sit verum matrimonium, est consensus; ergo si sit consensus est verum matrimonium. Quid multis? Hæc captio complectitur omnes vitiosas argumentationes, quæ canones consequentiarum non obseruant. Cæterum quoniam interpretes plura huius genera distinguunt, molestum non erit in sequenti tabella comprehendere.

Differunt hi termini

- Antecedens, quod est propositio, quæ infert conclusionem.
- Consequens, quod est conclusio illata ex antecedente.
- Consequentia, quæ est vis, & habitudo vtriusque.

Fit fallacia consequentis, cum captiose arguitur, vel

- A destructione antecedentis ad destructionem consequentis: vt, si homo est, animal est: ergo si homo non sit, animal non erit.
- A positione vnius ad positionem alterius: vt, si mel est, flauum est: ergo si flauum sit, mel erit.
- A communiter accidentibus, quæ se inuicem non sequuntur: vt, adulter est, ergo comptus est; ergo si comptus sit, adulter erit: vel hoc modo, Qui eremum petit, insanus est: sed Democritus eremum petiit, ergo insanus fuit.

CAP. XVI.

De fallacia a non causa pro causa data & accepta.

VT arcem scientiæ & veritatis expeditius demoliatur Sophista, non ex Minerua Musas, sed ex ignorantia malas causas genuit. His armatus & ipse insanit, & alios sæpe insanire facit. Quid enim gloriosius est, quam causas rerum prætendere? at vt nihil est splendidius, quam veris causis rem agere, & munire: ita nihil tetrius, quam spuriis & fucatis oscitantes fallere, & irretire. O vtinam, segnitiem excuterent adolescentes, verasque causas tandem perquirerent: sic sane non solum in hac, sed etiam in omni fallacia vafrum & serpentinum ingenium Sophistarum fugerent. Animaduertendum hic est, nimis frigide quosdam interpretes nomen non causæ sumere, pro vna præmissarum tantum in Syllogismo per impossibile reducto. Cæterum optimorum ea est opinio, quod non causa pro omni eo, quod apparet esse causa, & tamen non est, recte sumatur, vt, si quis hoc modo cum Martione argumentetur: is auctor peccati est qui tollit gratiam, quo minus homo operetur bonū: sed Deus tollit gratiam: ergo Deus est auctor peccati. Omitto multos terminos istius Syllogismi, in quibus peccat: solum apparentem causam propono. Simile est illud,

Qui patitur alium in malum ruere, is causa est mali;
Sed Deus patitur hominem in malum ruere;
Ergo Deus est causa mali.

Quare Deus non est auctor peccati.
Porphyrius hæreticus.
Casus & fortuna fallaces sunt causæ. 2. Phys.

Caue, & fuge Sophistam: nam sub prætextu causæ te rapit ad malum. Verum est hominem esse causam mali, si volens & sciens patiatur fratrem in malum ruere. Nam lege astringitur vt opem ferat: at Deus infinitus est, & nullis legibus tibi astrictus: si ergo patiatur aliquando malum, mali tamen auctor non est dicendus. Blasphemus ille Porphyrius sic Iudam proditorem Christi quodammodo nostræ salutis auctorem probat: nam Iudas causa proditionis, proditio causa passionis, passio causa salutis extitit. Quis non videt proditionem causam esse sine qua non, quæ reuera non est causa omnino. Huc etiam reduci possunt casus & fortuna quæ inter veras causas a Philosopho non recensentur. Postremo, vt in pauca rem contraham, toties est fallacia a non causa vt causa, quoties vtcunque non causa pro causa sumitur: defectio enim & error ex similitudine causæ nascitur.

Nomen non causæ sumitur aliquando
- Pro vna præmissarum, quæ callide excogitata videtur esse causa conclusionis necessariæ: vt, quicquid generat hominem, homo est: sed sol generat hominem, ergo sol homo est.
- Pro causa sine qua non: vt, sublata causa domus, domus non est: sed scala est causa domus, ergo.
- Pro casu aut fortuna: vt, qui seipsum occidit, sceleratus est, sed lapsus de alto tecto fortuito seipsum occidit, ergo lapsus de alto sceleratus est.

CAP. XVII.

Fallacia a pluribus interrogationibus pro vna positis.

POSTREMVS locus Sophistarum est a pluribus interrogationibus pro vna insidiose positis, & sic ignoranter vel negligenter acceptis. Nam toties impingimus in hanc captionem & cauillum, quoties duæ pluresue interrogationes fiunt, ad quas responsio datur, perinde ac si vna facta

facta fuisset: vt, Dic mihi improbe, desines tandem adulterium committere, an non? siue ais, siue negas, a luto in viscum incidis. Nam si ais; nota infamiæ statim inuritur, quia fateris te rerum fuisse sceleris: si negas, flagris te dignum ostendis, qui tantum facinus te velle committere audes profiteri. Docet Philosophus quod plures interrogationes fiant multis modis: vel cum plura attributa callide ad vnum subiectum non capax vtriusque referuntur: vt, Estne peccatum ens vel priuatio: si dicas ens esse, creari: si dicas priuationem, nihil esse concludet Sophista. Fiunt etiam, vel cum vnum prædicatum ad plura subiecta; vel cum plura prædicata ad plura subiecta destinantur. Exemplum prioris est, vt, sint ne flumen & mare dulcia? si esse respondeas, mare salsum non esse facile ex concessis probat Exemplum posterioris est, vt, sintne diuitiæ & virtutes bona? si esse respondeas, diuitias auari: si non esse, virtutes tibi proponit: ita quicquid tetigeris, vlcus est.

A luto in viscum.

Numerosa interrogatio varijs modis profertur.

Interrogationes plures sub specie vnius proponuntur, vel
- Aperte: vt, estne vita anima, vel sensus? & hæ interrogationes mea quidem opinione fallaciam non gignunt.
- Occulte: vt supra in tribus illis generibus demonstratur, & in his intenditur fraus seu cauillatio Sophistarum.

CAP. XII.

An omnes Fallaciæ reducantur ad ignorationem Elenchi.

VT nouem prædicamenta ad substantiam: vt tria prædicata ad definitionem generatim reducta, speciatim considerata distinguuntur: ita omnes fallaciæ, tam intra, quam extra dictionem ad ignorantiam Elenchi reuocantur, quæ tamen suo loco & ordine tractatæ disiunctas vires atque naturas sortiuntur. Hinc superius latissima patentissimaque Elenchi tradita fuit definitio, vt intelligeretur nullam esse technam Sophistarum, quæ ad aliquam partem eiusdem non referatur. Verum vt hoc distinctius percipiamus, notandum est in omni fallacia contradictionem conclusionis a Sophista intendi. Hæc vero contradictio est, aut in dictione sola, aut in opinione, aut in reipsa: si dictionem spectes, æquiuocatio, amphibologia, accentus, distinctionis figura ignorantiam sub prætextu vnius & eiusdem dictionis pariunt: idipsum fit in duabus fallaciis compositionis & diuisionis, sed paulo astutius, sub mentita specie etiam eiusdem rei & significationis. Septem quoque fallaciæ extra dictionem positæ huc aperte reducuntur: nam illæ duæ (Accidentis & consequentis) peccant contra illam particulam, nempe (ex his quæ data sunt) non enim ex necessitate inferunt. Item fallaciæ, a dicto secundum quid, petitio principij, non causa & interrogatio peccant aduersus partes definitionis, nimirum istas (non connumerato eo quod est in principio ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore.) Hæc de reductione fallaciarum scripsi, non quod in ea multum, vel artis, vel vsus videam, sed quod nutum Aristotelis, ductumque interpretum sequendum esse putem. His ergo leuiter tactis ad maiora festinemus.

In omni fallacia contradictio conclusionis a Sophista semper intenditur.

CAP. XIX.

An tribus tantum modis resoluantur Sophismata?

Quomodo tractandi Sophistæ.

Gordius rex Phrygiæ nodum in Iouis templo tam artificiose connexuit, vt frustra permulti in dissoluendo laborarent. Accessit Alexander, semel ac iterum rem tentauit, cum potis non erat arte, Marte peregit: acuto enim gladio abscidit, quod acuto ingenio non dissoluit. At longe aliter agendum est cum nostris Sophistis, qui tantos fumos in templo Mineruæ concitarunt, qui tam difficiles nodos in templo pacis contexuerunt: non Delphico gladio feriendi, sed Philosophico ingenio ab arce veritatis abigendi sunt. Verum hic labor, hoc opus est, illorum tectas & occultas vires sternere, ipsorum capita comminuere, id est eorum Sophismata dissoluere & resecare. Vastos de hac re & verbosos commentarios vidi legi, fugi: vidi & legi vt intelligerem: fugi ne tædium lectori parerem. Ætnam ergo in collem (vt est in prouerbio) deducam: multa in pauca contraham. Solutio a Philosopho definitur erudita Elenchi per partes refutatio.

Negatione, distinctione, & interpretatione resoluuntur Sophismata.

Huius ab alijs duæ partes ponuntur { Negatio / Distinctio } Ab alijs tres { Negatio. / Distinctio. / Interpretatio.

Negatio falsi, distinctio multiplicis, interpretatio obscuri, solutio dicitur: quippe falsa aperte negare ambigua apte distinguere, obscura docte interpretari decet: quæ tria si teneas ad vnguem, non est, quod vngues Sophistarum timeas. Nam quamuis hæc in genere tradantur, alia tamen via non est nominatim discutiendi vllam fallaciam, nisi vt dicamus hoc & illud argumentum ad hanc & illam fallaciam referri nunc in materia, nunc in forma, nunc in vtraque peccare; sic in vocibus, sic in rebus delitescere, postremo hoc vel illo modo resolui & explicari. Exempli causa, si ancipiti dictione laboret sententia, de multiplici; si varijs modis vox eadem proferatur, de accentu distinguendum erit. Nam hoc artificis est, ad suas proprias classes & nodos & neruos, id est fallacias ad earum solutiones referre. Mille regulas, quas tradiderunt veteres, de fugiendo Sophista hic lubens prætereo, nam vanæ & otiosæ sunt, quippe nihil aliud docent, quam timide tergiuersari, latebrasque quærere. Sin quales sint scire desideres, istas gustandi causa deridendas propino. Si inquiunt, videas te captum Sophistarum laqueis, primum digredi contendas; si non possis, verbis quantum in te est omnia alleuabis: si hoc modo non vincas, conuiciis vrge: si adhuc persistat, sibilis explode: quam ridicule, quam inconsiderate hæc omnia? Dum alios conuiciis indocte oneramus, nos ipsos inciti telo incaute confodimus.

Aliæ viæ resoluendi Sophismata.

Alii modi effugiendi Sophistam, sed minus approbati.

Epiphonema.

Solutio Elenchi est bipartita:
- Generalis, eaque triplex:
  - Negatio falsi.
  - Distinctio ambigui.
  - Interpretatio obscuri.
- Specialis, quæ est, in explicatione
  - Vocum, vt in fallaciis intra dictionem.
  - Rerum, vt in fallaciis extra dictionem.

CAP. XX.

An sint plura fallaciarum genera, quam quæ ab Aristotele sunt tradita?

TVA solius causa (benigne lector) oliuam fructuosam in hoc libro inserendam, cicutam veneficam extirpandam putaui: in oliua artis vsum & oleum, in cicuta fraudis toxicum venenum senseris. Satis est quod didicisti; nunc siste vestigium: Scotũ Hybernicũ, Ioannẽ de lapide, Petrũ de hirũdine, aliosq; his similes, imo ne Magistrũ de magistris audias, quippe si audias exitũ studiorum haud facile inuenies. Huic enim tractationi de fallaciis, vt cæteris partibus dialectices, tam ingentes cumulos addiderunt, vt ad noua excudenda phantasmata Tartareos spiritus & suscitasse & consuluisse videantur. Lege si tantum sit tibi ocij illorum ampliationes, restrictiones, obligatoria, exponibilia, distributiua, collectiva, solubilia, insolubilia, aliaq; infinita (nescio sane quid dicam) prodigiosa portenta; tum certe intellexeris hanc nobilissimam Musam istorum sordibus nimis iamdiu contaminatam fuisse, adeoque nunc tandem purgandam esse necessario. Contemptis ergo pictis istorum parietibus, qui, optimorum ingeniorum ariete concutiunt: simul cum Aristotele quem authorem proposuimus in initio, hoc opus terminabimus. Tritum est illud: frustra per plura fieri, quod fieri potest per pauciora: qui plura addunt fallaciarum genera, nimis curiosi esse videuntur, qui nihil aliud contendunt, quam vt mendaci nouitatum specie ignorantium ingenia effascinent. Dic mihi, inquit, fortasse, vbi sit illud Sophisma, quod sciamachia dicitur, quæ est quando Sophista cum sua ipsius vmbra colluctatur? Dic iterum, vbi est illa fallacia, quæ logomachia nominatur, qua vtitur Sophista, cum solis verbis, literis ac syllabis (relicto rerum sensu) inhæret? Dic vbi circulatio, quæ tot gyros & rotas fabricat? Dic vbi fallax restrictio; dic vbi falsa suppositio? Dico sub tractatis contineri fallacijs; nominatim sub homonymia, accentu, & figura dictionis, si vocem: sub petitione principij, sub fallacia consequentis, & non causæ, si rem ipsam spectes. Plura ergo non sunt quam quæ traduntur ab Aristotele fallaciarum genera.

Argumentum Scotistarum.

NOTA.

Peroratio Libri.

PErfunctus iam sum officio (studiose Lector) si grato animo accipias, fructum, quẽ inde optabam amplissimum sum consecutus. Vereor sane, ne immaturum fœtum & veluti abortiuum ediderim: in parturiendo tamen enixe laborabam. Fluenta enim multorum veterum in vnum quasi riuulum contraxi: illorum volumina ad breuem epitomen reuocaui: illorum dico quos per 17. annos in prælectionibus meis imitatus, dignissimos esse putaui, qui e suis nunc monumẽtis in scholas nostras euocentur. Si nomina requiras, Thomam & Boetium, Lambertum & scholam Venetam, Niphum & auream Catenam nomino, quibus velim addere duos, Scotum & Burleum si elegantulas huius ætatis aures non offenderem. Sed ferunt Scotum in sepulchro suum ipsius excussisse cerebrum, suæq; curiositatis iustam fuisse pœnam: quare illum vt spinam & vrticam (quæ nuda ingenia pungunt) aut cautius tractandũ, aut prorsus a catalogo veterũ delendũ esse suadeo. In hac quoq; summa recẽtiores aliquos suũ locũ vendicãt, vt mirũ scholæ Louensẽsis, Toletus & alij. Quid multa? horũ omnium calculis discussis, horum omnium annulis obsignari hanc summã volo: sed hic finẽ operi impono: in quo (benigne Lector) si quid recte scripserim, Deo laudem: si quid minus elaborate, mihi veniã tribue. Virgulã Censoriã si placet, tibi assume: errata mea humaniter (si qua sint) designa mẽdulas expunge. Auctorẽ tamen diliges: is enim sum, qui magis tui, quã mei ipsius causa desudaui. Christum precor, vt sis saluus: tantundem quæso repreceris.

FINIS.

IN SUMMAM VETERUM INTERPRETUM IN UNIUERSAM DIALECTICAM IOANNIS CASI,

INDEX.

A.

Abstractum unde dicatur 51
Accentus quid 192 *Accentus fallacia quomodo contingat* 192. *quomodo distinguatur ab Æquiuocationis fallacia* ib.
Accidens dupliciter sumitur 48
Actionis definitio 96 *distinctio* 97
ad Actionem boni tria necessaria 179
Actor tripartitus 148
Aduersæ qualitates 94 *Aduersorum alia mediata, alia immediata* 166.167
Æquipollentia quid 19 *Æquipollentiam quatuor absoluunt* 19
Æquiuocatio late patet in omni arte 186 *quid sit ib. in quibus consistat ib.*
Æquiuoca 50
Affectus animi 90
Agimus quatuor modis 97
Alteratio propria, impropria 113
Anabaptistarum argumenta 146
Anacharsis 125
Animi pharmaca duo 129
Annexi definitio 142
Antepredicamentum quid 49 *quot sint ib.*
Argumenti definitiones 21 *Argumentatio opus, instrumentum & finis Dialectices* 21 *eius definitio ib. ad eam quæ requirantur* 21
Aristoteles simplicem inhærentiam agnoscit 144 *eius diuinum ingenium* 49
Ars quid 127 *Artis progressio in fine celerior* 96 *Artis ordine priora quæ* 109 *Artes non valent sine arte* 177
Auctoritas quid 171 *Auctoritas diuina & humana* 171
Auerroes 121
Auris plus conducit ad scientiam capessendam 145
Axioma est essentia loci 144

B.

Bonum naturæ & bonum moris 181
Bono nil melius 178

C.

Casus unde dictus 51 *a Casib. locus idem cum loco a coniugatis* 172 *Casus & fortuna fallaces sunt caussæ* 198
Categorica propositio 13. *in ea quatuor spectanda.* 13
Caussa quid 161 *duplex* 161 *Caussa & medium eadem sunt* 137 *Caussæ efficientes aliæ necessariæ aliæ minus necessariæ* 162 *Causarum genera* 122
Causarum loci interni 161
Cognitio duplex 120 *ad Cognitionem, loci perfectam quatuor spectanda* 149
Complexum triplex 54
Compositio quid 190
Conclusio directa quæ 23
Concretum 51
Congressus quid 139
Coniugata quomodo differant a denominatiuis 172
Consequentia duplex 156
Contemplationis subiectum, obiectum & medium 180
Contradicentia 106 *Contradictio duplex* 168 *Contradicentium nullum medium* 167
Conuersio quid 19 *Conuersionis species* 19, 20 *Conuersionem quæ absoluunt* 20
Copula quid 13 *Corporis oppugnatio* 72

D.

Definitio 9 *est omnium prædicatorum anchora* 154 *an possit demonstrari de suo infinito* 137 *Definitionis locus quid* 154 *Definitionis vis & vsus* 15 *a Definitione exordiendum* 2 *in Definitione vniuersalis tria consideranda* 29 *de Definitione vniuersalis Philosophorum pugna* 30 *in Definitione quæ spectanda* 9
Demonstratio pars dialecticæ 119 *an Dialectico necessaria* 118 *duplex* 124. *eius finis scire* 122 *eiusdem medium an contineatur sub extremis* 130

Denomi-

Denominatio similis & dissimilis quomodo conueniat, 50 Denominatiua 50 eorum diuisio triplex 51 Denominatiua oppugnantur 53 in Denominatiuis spectanda quatuor 51
Descriptio & notatio sub loco definitionis continentur 155
Desidiosi inertes sunt 131
Deus naturæ mediis non alligatur 106 non potest peccare 169 quare non auctor peccati 198
Dialectica quid 2 duplex 4 quare dicitur ars rationalis 3 an sit scientia 4 modum sciendi tractat 116 Dialecticæ officium & vsus 1 instrumenta 2 partes duæ 6, 139 subiectum 5 finis 118 Dialecticus & Demonstrator an differant 136 Dialectici munus & officium opinionem gignere 140 Dialectici quomodo caussam considerent 161
Dici de omni, per se & vniuersaliter 125
Differentiæ definitio 42 Differentiæ maxis propriæ sunt quatuor officia 43 Differentiarum indagatio 143
Digressio triplex 147
Disceptationis genus duplex 147
Dispositio quid 87
Disputatio cur sapienter instituta, caussa 146
Diuisio quid 10 Diuisio fallaciæ 188 per Diuisionem quid sit an res demonstrari possit 137 in Diuisione quę spectanda 10
in Disputando errores 142
Docere trifariam sumitur 145
Dunsi vniuersalia plaustris vexerunt vt poemata Thespis 35

E.

Elenchus non est pars Dialecticæ 185 Elenchi ignorantia an sit caussa erroris in omni arte 185 Elenchi interpretatio 186 Elenchi solutio bipartita 200 Elenchi definitio ex Aristot. 195
Ens rei, non rationis subiectum prædicamentorum 52
Enthymema quid 25 Enthymema quæ perficiant 25
Essentiæ & veritatis distinctio 122
Exempli vsus 26 Exemplum an sit species argumentationis
Exercitatio duplex 139
Externus locus quid 153

F.

Fallacia quid 188 Fallacia in re quomodo 188 Fallacia compositionis quid 191 Fallaciæ per accidens tria genera 194 Fallacia consequentis quid 197 Fallacia a dicto secundum quid ad simpliciter num recte assignetur 194 Fallacia diuisionis quid 191 Fallacia a non causa pro causa data & accepta 197 Fallacia elenchi bifariam sumitur 196 Fallacia in rebus cur contingere dicatur 193 Fallere dupliciter 145
Figura quid 92 Figuræ distinctio 93 Figura prima ad demonstrationem aptissima cur 132
Finis est norma omnium 145
Forma quid 92, 163, est interna & externa ib. Forma perficit, priuatio corrumpit 164 Forma Physica est actum, differentia dialectica est potentia 60 Formæ & Figuræ collatio 91
Fraus imitatur artem 185
Futura an in demonstrationem cadant 137

G.

Generatio accipitur stricte, fuse 164 Generatio duplex 113
Genus quodnam in vnica specie seruatur 37 Genus quotuplex 37. Generis definitio 16 diuisio ibid. Generis ordo, significatio 35 Generis natura duplex 37

H.

Habitus quid 87. eius distinctio 88 oppugnatio ibid. & 115 Habitus definitio 103 communitates ib. distinctio ib. Habitus & Dispositio eadem species 87 Habitus est ens rei extra intellectum replicatio 104

Honor virtutis & fortunæ 179
Hypothetica propositio 13

I.

Ignorantia est dispositionis & negationis 129 Ignorantia fraudis Sophisticæ est causa errorum 186
Impotentia quid 89 Impotentia tripliciter distinguitur. 90
Indiuiduorum genera quatuor 41 de Indiuiduorum essentia & distinctione opiniones quatuor 41
Inductio quid 26 Inductio an definitionem probare possit 137 Inductionis vis 26
Inessendi modorum oppugnatio 57
Infinitum an sciri possit 136
Inhærentia quid 54 Inhærentiæ simplicis distinctio 145
Inopinatum quid 189
Intelligendi ratio duplex 137 Intelligentia est principiorum 130 Intellectus actus triplex 6
Interpretatio an sit diuisio 138
Interpretes alij Reales, Nominales, Neutri 30 Interpretum omnium duo antesignani 1 Interpretum explicationes quales 69 Interpretum lucta 124
Interitus rerum vniuersarum sequitur interitum rerum singularum 61
Interrogatio numerosa varijs modis profertur 199
Introductio via est, ordo filum 49
Inuentio motum habet 6 quare ad tria conducat 139 Inuentio sine locis corpus sine neruis 149 Inuentionis tractatio sequitur tractationem iudicij 138 Inuentionis vtilitas 139 Inuentionis munus 142
Inuentionis argumenta duplicia 143 Inuentionis campus assimulatur aciei 156
Iudicium quietem habet 6 Iudicium duplex 138 Iudicij definitio 138

L.

Locus cur a superficie differat 73 Loci definitio, distinctio & argumenta 71, 72 Loci mutatio vel orbica, recta, mixta 113 Locorum omnium notitia an differenti necessaria 146 Locorum notitia duplex 147 Locus internus quid 153 Loci definitio secundum Aristotelem, Boetium & Rodolph. 148 Locus an recte diuidatur 149 Locus a genere 151. a natione ib, ab ætate ib. ab educatione, a Sexu, ab Habitu corporis, a fortuna, ab Animi indole, a victu, reb. gestis, a morte 152 Locus a potentia subiecti 176 Loci ab vtili & iucundo 181 Loca insita, assumpta & media 149 alia personarum, alia rerum ib. Loca necessaria quæ 146 Otiosa, Vtilia, ib. Loca media quæ 172 Loca media an sint plura quam ea quæ traduntur 175 Locorum vsus a caussis 164 Loca moralia & naturalia 177
a Luto in viscum incidere 199

M.

Magis & minus suscipere quid 94
Maiora quæ sunt 168
In Mathematicis principia demonstrationis sunt duplicia 133
Materia duplex 162 Materia inuentionis duplex 140 Materia vera, necessaria, contingens 16
Medium bonum instrumentum & principium summum 178 Medium minus certat cum extremis, quam extremum cum extremo 179 Medium optime in prima figura disponitur concluditurque 131
Mentis virtutes quinque 179 in Mente apprehensio & iudicium considerari debet 134
Moderatoris officium 148
Modus & figura sunt formalia principia demonstrationis 131 Modus per se conueniendi quid, & quotuplex 125
Motor primus omnia ex nihilo creauit 184
Motus quid 112, eius diuisio ib. Motus & temporis differentia 74
Mortalis quid 157

N.

Naturale duplex 90
Necessarium quid 140 duplex 2
Necessarij distinctio 32
Negationis varia positio 19
Nomen quid 7
Nominalium delirium 99
Numerus quid 7

Numeri distinctio 75. Oppugnatio ibid.

O

Opinio quid. 137
Opponentis officiũ 148. Oppositio quid 17 Oppositarum diuisio 106, 107. ad Oppositionem quæ requirantur 18 Oppositorum diuisio 166 Oppositionis affectiones. 17
Ordo est filum in labyrintho 8 Ordo duplex 9. Ordo naturæ & disciplinæ 36 Ordo doctrinæ seruandus in præceptis tradendis 9
Oratio quid 11 Orationis partes duæ 7 Oratio quid 76. eius oppugnatio ibid. Oratio perfecta & imperfecta 12.

P

Partes integrales primaria & minus primariæ 157 Partes in quantitate capiuntur dupliciter 158
Passio quid 90, 98. Passionis proprietates duæ germanæ 98. Passibilis qualitas quid 90. Passibilis qualitatis distinctio 91. Passibiles qualitates obiecta sensuum 90 Passibiles qualitates ortę a passione 90
a Personis locus quomodo definiatur 151
Philosophia quid 139 Philosophi non est in omnia Aristotelis verba iurare 144 Philosophorum veterum omnium cōtemptum parit 117
Physici quomodo causam desiderent 161
Platonis opinio 119 refutata. 120
Potentiæ naturalis distinctio & argumẽta 89
Porphyrius hæreticus 198, cur tres quæstiones moueat, nec tamen distinguat 33
Postprædicamenta cur instituta 105 Postprædicamentum quid 105. Postprædicamenti ratio 109
Potentia quid, 89
Prædicatum quid 13
Prædicamentorum decem distinctio 59. eorum oppugnatio 60 Prædicamentis series duplex 63 Prædicamenta natura differunt 57 Prædicatio vniuersalis est vel Signata, vel Exercita in rebus 29. Prædicati definitio 142 Prædicatum & Annexum remotam inuentionis materiam constituunt 141
Prædicabilium cognitio conducit ad quatuor 31
Principia demonstrationis sunt aut essendi aut cognoscendi 126 Principia sciuntur 125 Principia cognitionis & cōstitutionis 132 Principia quomodo inductione cognoscantur 135 Principiorum duplex consideratio 136
Priuantium oppugnatio 108 Priuantia opposita 106
Prius quot modis accipiatur 109
Probabilitas quid. 140
Proportio dialectica 170
Proposita omnia quæstiones, sed non e contra 141 Propositio quid 11 Propositio singularis 15 Propositio maior, & minor cur dicatur 22 Propositionis quantitatis 14 in Propositionis quantitate consideratur tria 15 inter Propositionem & quæstionem distinctio 141 in Propositione quæ consideranda. 12 Propositum quid 141
Proprium duplex 45 Proprium inuentionis munus per orationem docere 145 Proprij significatio 45
Prudentiæ vbi plus est, ibi minus est fortunæ 184

Q

Quæstio quadruplex 130 eius definitio ib. Quæstio Dialectica dupliciter capitur 141 Quæstionis status 9. Quæstionis demonstrabilis amplitudo 130 Quæstionis definitio secundum Aristotelem 141
Qualitas duplex 14 Qualitas propositionis quæ 14 Qualitas quid sit 85 Qualitatis ordo 85
Quando definitio 100 proprietas ib. distinctio 101
Quantitas Dialectica 70 Quantitas coniuncta 70 Quantitatis continuæ oppugnatio 71 Quantitas disiuncta 70
Quantitatis ordo 70
Quantitatis diuisio 70 distinctio 70 de Quantitatis speciebus argumenta 71
Quantitatis accidentalis diuisio. 77
in Quid prædicatur quatuor modis 37

R

Rationale duplex 58

Redargutio quid 187
Reductio quid 23. quotuplex ib. in Reductione quæ consideranda 23
Relata secundum esse 79 Relata secundum dici 79 Relata quatuor modis conuertuntur 81 ad Relatorum conuersionem tria requiruntur 83 Relatiua considerantur materialiter & formaliter 12 Relationis significatio 79 definitio ib. Relationis diuisio per differentias 81. Relationis communitates duæ. 81
Res incommutabiles dupliciter 123 Res differunt vel genere, specie, numero. 37 Res aliæ substantiæ, aliæ Acidentia 55 Rei vnius plures possunt esse demonstrationes 133
Respondentis officium. 148
Rodolphi Agricolæ laus. 184

S

Sapientiæ officia 186 in Sapientiæ studio duo vitia declinanda 140. Scire quid 122 Scire nos vere probatur 121 Scire distinguitur modis 122 Scire omnes homines desiderant. 126
Scientia duplex 4 Scientia est mediorum 130 Scientia subalterna 128. Scientiæ vnitas ab vnitate subiecti pendet 128 in Scientiæ cuiusque aditu quinque consideranda 28. Scientiæ obiectum & principia 126. Sciendi difficultas vnde 131
Scotistarum in dialectica paradoxa 104. argumentum 201
Sensus defectio duplex 129 Sensus externi sunt nuncij internorum sensuum 128 Sensus humani mendaces. 131
Simile omne par est 169 pulcre docet non demonstrat 169 Similitudo fuse & stricte accipitur 96 Similium & dissimilium crebrior vsus apud Rhetoricos quam apud philosophos 170
Simul tempore dupliciter 47 tempore, & natura. 111
Situs genera capiuntur tripliciter 85 ordo 101 definitio ib. communitates 202. Situm habere quid 77
Solæcismus 187
Sophista quis 166. Sophistæ quomodo tractandi 199 Sophistarum duæ metæ 188. eorum argumenta minus feriunt ib Sophismata distinctione, negatione, & interpretatione resoluuntur 200
Sorites quid 27 in Sorite quæ spectanda 27
Species triplex 40 Speciei significatio 39 in Specie tria requiruntur. 41
Subiectum quotuplex 28
Subiectum triplex 13 duplex 176 Subiectum quid 52 Subiectum artis est centrum 5 Subiecti conditiones quatuor. 5
Substantia prima quid 61 secunda quid 61 Substantia quare reliqua prædicamenta præcedat 61 vnde dicatur 62 triplex 62 contrariorum capax esse probatur 69 Substantiæ proprietates sex 45
Superficiei distinctio 72
Suppositio quid 127
Suscipere magis & minus quid 94
Syllogismi definitio 22 Syllogismi leges 24 in Syllogismo quæ spectanda 22 in Syllogismis tres termini 22

T

Temporis distinctio 74 definitio ibid.
Totum vniuersale quid 156 Totum integrale 157
Translationis vsus duplex in dialectica 172
Trinitas probatur a loco proportionis 171

V

Vbi definitio 99 significatio ib. duplex ib Vbique actu, aptitudine 160 Vbi cum Quando communia 100
Veneti opinio de principijs rei & cognitionis 135
Verbum quid 8
Verum quid 140 Verum primum, necessarium, immediatum quid 123
Via compendiaria acquirendæ virtutis 180

Vniuersa

Vniuersalia sunt vel primæ vel secundæ intentionis 33 *Vniuersale res esse probatur quatuor rationibus* 30 *Vniuersale quid* 28 *quotuplex ibid* & 31 *capitur aut generatim aut speciatim* 137
Vniuoca 50.
Voluntas principium & subiectum virtutis 179
Vsus quid 165 *inter vsum & finem discrimen ib. in vsu res omnis consistit* 1. *inter Vti & frui differentia* 179
Vox vtrum diui datur an res. 61

FINIS.

